

LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
Accession 768 t
Class S31

QUAESTIONES PROPERTIANAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS QUI SUNT IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE GOTTINGENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ROBERT SCHARF

MUEHLBERGENSIS.

HALIS SAXONUM,

FORMIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN.)

MDCCCLXXXI.

SATIREN

Propertii carmina, quae propter exquisitius doctrinae genus jam poëta superstite paucorum hominum, qui pari disciplina parem ingenii cultum erant assecuti, fuisse consentaneum est, cum delabentibus sensim imperii Romani rebus studia quoque ingenua extabescerent, inter prima fuisse, quorum obliviscerentur Romani, mirum esse non potest. Renascentibus autem literis cum sero sensimque e latebris eruta in studia liberiora essent recepta, quamquam et prioribus saeculis et nostro non defuerunt vv. dd., qui in Propertio aut recensendo aut explicando curam posuerint, tamen prae ceteris, qui Augusti aetate floruerunt, poëtis Latinis neglectus ille paene jacebat. Viri autem docti illi, qui nostris temporibus in carmina Propertiana incubuerunt, eis imprimis libris [1]) operam navabant, qui in singulis paene carminibus Cynthiam unice celebrant, ultimi libri elegias negligebant, cum praesertim Lachmannus in not. 1. ad l. V. p. 329 in hoc libro, ubi plura carmina non ab ipso poëta elaborata, sed ab ejus amicis ita ut in ceras temere conjecta rudia quidem et indigesta invenissent, edita essent, multa, in quibus aliquis diu moraretur indigna esse pronuntiasset. Sed nuper exstiterunt qui unice in ultimum incumberent librum, quorum e numero Heymreichius [2]) omnia huius libri carmina Propertio abjudicat eorumque esse auctorem suspicatur Passennum Paulum; Dominius Carutti [3]) omnes libri V elegias excepta 11 esse spurias et a Sabino poëta conditas contendit; Eschenburgius [4]), qui quo tempore scripta sint libri V carmina indagare studet, alteram el. 1 partem (vv. 71—150)

[1]) Utar in hac dissertationae numeris Muellerianis eisque uncinulis non inclusis.

[2]) symb. philol. Bonn. pp. 674 sqq.

[3]) edit. Prop. quae inscribitur Sex. Aur. Propertii Cynthia cett. pp. 34 sqq.

[4]) lib. misc. a societate philol. Bonn. edit. pp. 83 sqq.

ad Propertium non esse referendam demonstrat; Luetjohannes [1]), qui huius libri fidem contra eos, quos nominavi, vv. dd. tutatur omnes ultimi libri elegias esse Propertianas docet excepta altera illa c. 1 parte, quam ab amico quodam ad Propertium esse scriptam opinatur.

Jam omnes hae quaestiones, quas habuerunt vv. dd. modo commemorati, quoniam non nisi perspecta ipsa poësis Propertianae natura dijudicari possunt, primum quibus rebus singuli elegiarum Propertii libri inter se differant exquiram, deinde causas ipsas, unde discrima illa, quae intercedunt inter singulos libros sint profecta indagabo.

I. De poësis Propertianae ratione et consilio.

Quaerenti mihi, quamnam potissimum viam in hac quam mihi proposui, quaestione tractanda persequar, quandoquidem inter praecipuos carminis elegiaci auctores Propertius est referendus, admodum e re esse videtur, ab elegiae ipsius natura et indole proficisci.

Notum est elegiae nomen ductum esse a metrica forma, in qua hoc poësis genus reperitur. *Ἔλεγος* enim, a quo repetenda est „elegia“, primum et proprie significat tibiae modos, in quibus pentamentri versus numeros expressos fuisse veri est simillimum. Deinde distichum ex hexametro pentametroque compositum appellatum est *ἐλεγεῖον*, carmen vero ex talibus distichis contextum *ἐλεγεία*. Atque pure esse metricam elegiae nominis significationem testis est Diomedes, qui dicit (III, p. 484, 17 K.): „elegia est carmen compositum hexametro pentametroque e. q. s.“

Jam vero ut cognoscamus naturam et vim propriam carminis elegiaci, quae argumentis perspicitur, quoniam ex his quae de elegiae vocis significatione attulimus, apparet, argumenta, quae elegiis includi possunt, esse pervaria, contemplemur oportet, quid causae fuerit cur epicis carminibus neglectis novum poesis genus sibi parerent Jonici. Atque posita est causa in eo, quod illi summam rerum suarum conversionem

[1]) Commentationes Propp. Kiliae 1869.

ac perturbationem vitaeque libidines carminibus describere studebant, cui argumento novo cum epici carminis simpliciter narrautis forma non sufficeret, novos elegiae modos fingebant. Ex ipsa autem hac poësis elegiacae origine intelligitur argumentum omnium elegiarum commure esse: comtemplationes. Quae contemplationes quoniam spectare possunt ad res inter se diversissimas velut ad amicitias, convivia, rusticationes, fortitudinis laudes, sapientiae praecepta aliaque multa, verum esse, quod supra statuimus, patet, elegiae naturam et vim propriam non in argumento, sed in forma metrica esse positam. Jam vero prae ceteris, quas commemoravi rebus amoris lusus, gaudia, casus cum ab omnibus Romanis poëtis elegiacis tum a nostro poëta celebrantur, ita ut elegia, quam dicimus amatoria in ejus libris maximam occupet partem vel potius sola reperiatur. Quod quo jure contenderim ex Propertio ipso demonstrabo.

Propertium poëtarum Romanorum morem secutum libris ab ipso editis primam quamque elegiam prooemii loco praefixisse satis constat. Horum autem carminum cum hoc sit proprium tum apertius tum tectius ea, quae sequuntur carmina significare, ex primis librorum I, II, IV elegiis, qualis universa Propertianorum carminum sit ratio perspicere possumus [1]).

---

[1]) Ex I, 1. II, 1. IV, 1. rationem illam perspici dico, non ex III, 1, a qua elegia Lachmann novi libri initium esse capiendum demonstrat. Nam quamquam Lachmann recensionem non certam quidem illam ab omni parte, sed quae plurimas expediat difficultates, in universum comprobo, tamen c. III, 1. a poëta ipso prooemii loco huic libro esse praemissum cum Hertzbergio (Quaestt. Propp. III. p. 217.), Luetjohanne (l. l. p. 77.), aliis nego. Primum enim hoc carmen naturae atque indoli carminum eorum quibus inchoare solent poëtae singulos libros atque Propertius libros I, II, IV. revera est exorsus, plane est contrarium. In tribus enim illis elegiis, quod paulo infra fusius demonstrabo, cum poëta, quibus carminibus contineantur libri, planis verbis pronuntiet, in hac, de qua agimus elegia nihil tale invenitur. Initio enim carminis relictis, qui adolescentiae conveniant amoribus Augusti castra se esse cantaturum dicit, deinde quae jam gesta sint in Asia breviter celebrat deque iis, quae instent, victoriis plura pollicetur, postremo carmen ipsum comparat cum carona, quae ad pedes magni signi deponatur levitatemque ejus infirmitate ingenii artisque suae excusat. Pro-

Atque in el. I, 1. quamquam carminum, quae sequuntur mentio fit nulla, tamen cum totum se et summa et infelici Cynthiae amore dicat teneri, hoc ipsum facit Propertius, ut quae sint carmina secutura ostendat et quasi fontem eorum

pertius igitur maiora quam lectuli bella et praeclariora se cantaturm esse pollicitus, cum pauca ejus generis proferat, horum ipsorum levitatem excusare studet, ita ut omnis poëtae cogitatio hoc carmine contineatur, aliorum diversi generis poëmatum, e quibus constat totus qui sequitur liber, nulla usquam fiat designatio. Knauthius (Quaestt. Propp. diss. Hal. 1878 p. 26 n. 4.) vero, cum dicit, elegiam eo consilio scriptam a Propertio, ut veniam peteret ab Augusto, ut autea (II. 1.) a Maecenate, quod elegias ei offerret amatorias, prooemium esse accipiendum libri III, cujus verba sic sint explicanda: „Cum jam puellam suam satis scripsisset, suum certe fuisse, res ab Augusto gestas celebrare. Neque tamen se esse parem tam elato poësis generi itaque novum amorum composuisse librum eaque „vilia tura" Romanorum principi dedicare;" ad interpretationes nimis contortas confugere mihi videtur, quoniam ex carminis versibus extremis: „Ut caput in magnis ubi non est tangere signis" e. q. s. comparatis cum priore elegiae parte nihil alind probabilitate aliqua erui potest, nisi excusare Propertium laudis suae levitatem eo, quod nondum carmen magnificum idque heroicum attigerit. Quare cum c. III, 1 ab usitata eorum, quibus novi libri incipiuntur carminum ratione plane sit alienum, ad prooemium libri alicuius illud esse destinatum a poëta veri est dissimillimum. Mitto causas illas a vv. dd. saepius prolatas, absonum esse poëtam ei libro, qui totus usque ad finem in amoribus celebrandis versetur, cujus carmen extremum (III, 32) epilogi loco, positum amatoriam poësin unice commendet, praefatîonis loco carmen praemittere, quo amori valedicat. Causarum et temporum vestigia, quae satis certa insunt in hoc carmine, nostrae sententiae admodum favent. Temporum enim vestigia collata cum causis, quibus ad condendum hoc carmen impulsus est Propertius, docent compositum esse illud iisdem fere temporibus, quibus extremae l. IV elegiae (24, 25.) i. e ea tempestate, qua Cynthia in perpetuum abdicata ad aliud poësis genus poëta se erat adversurus, de quibus rebus infra uberius disputabo.

Quibus de causis cum eo consilio elegiam scriptam esse necesse sit putemus, ut alia argumenta se poësi amatoria relicta esse tractaturum pronuntiaret poëta et illud, quod posuit Knauth., cassum esse patet, et Lachmanni sententiam ad irritum cadere facile perspici potest. Quid enim? cum ipsi Lachmauno, cujus rationem confirmaverunt Eschenburg et Luetjohann l. 1, sit veri simillimum, libros II, III, IV conjunctim a poëta ipso esse editos, cur el. III, 1, destinatam illam et ad dedicandas Augusto elegias, quas scripsit amatorias et ad indicandum illud poësis genus, quod omissa poësi amatoria tractandum sibi proposuit, alteri trium illorum librorum

legentibus aperiat. In el. autem II, 1. ad Maecenatem missa, qualia carmina sit conditurus aperte indicat, cum vv. 1—16 puellam solam, non deos, poëtarum patronos mentis in flammationem et caelestem illum instinctum sine quo grave plenumque carmen fundi non potest, sibi afflare dicit, quae quidquid fecerit, quidquid locuta sit, ad carmina condenda ipsum incendat. Jam si animo valeret ad carmina graviora vel epica componenda res ab Augusto domi bellique gestas se esse prosecuturum, quoniam sic semper ad ipsum Maecenatem celebrandum carminis argumento duceretur. Quia autem id non possit, cum qua pote quisque, in ea conterat arte diem, amorem se esse cantaturum in eoque celebrando usque ad mortem perseveraturum dicit. Denique in el. IV, 1, quae II, 1. non est dissimilis, Callimachum se et Philetam exemplar sibi delegisse, quos sequentem se et magnam imitatorum turbam et nomen immortale assecuturum atque puellam suam sono solito esse delectaturum sperat.

In tribus igitur his elegiis universe de poësis suae rati-

---

praefixit Propertius, cur non, quod cum Augusti auctoritas majestasque tum ratio omnino postulabat, libro II. praefixit, ut carmine omnibus quas editurus erat elegiis amatoriis praemisso indicaret, numquam se talia rursus esse tractaturum argumenta, cur non libro IV. praemisit, ut loco non minus apto carminisque consilio admodum convenienti idem significaret? Quibus omnibus diligenter consideratis unusquisque concedet, nec poëtam c. III, 1 libro III prooemio loco addere potuisse nec carmen ita esse comparatum, ut probabile fiat, poëtam omnino unum vel alterum trium illorum librorum isto fuisse exorsurum, quamquam illud mirum esse non potest, c. III, 1, quod extremis omnium carminum amatoriorum temporibus adscribendum esse monuimus, libro III esse insertum, quoniam satis multis exemplis docemur, antiquos poëtas non id egisse, ut opera ad ordinem temporum redacta traderent. Jam vero cum de reliquorum librorum argumentis prima quaque elegia praefatus sit Propertius, tertio prooemium eum non addidisse non mirari non possumus. At expeditur sane haec difficultas et extremae elegiae libri II et primae atque secundae libri III condicione. Quarum elegiarum condicio cum ea sit, ut el. II, 9 inde a v. 40 cento potius quam justum carmen esse videatur, ut ell. III, 1 et 2 esse mutilatas in propatulo sit, in fine illius et initio huius libri excidisse aliquid manifestum est. Quae cum ita sint mihi quidem admodum fit probabile prooemium quoque libri III in hac, quam hoc loco fecisse elegias Propertianas vv. dd. comprobant, jactura interiisse.

one in hunc modum exponit poëta, ut ad condendas elegias amatorias solum se animo valere dicit, quoniam et amor, quo amplexus sit puellam, a celebrandis patriae rebus ipsum avocet, et ne maiora sibi canenda sumat, inferioris ingenii vires impediant.

Harum elegiarum simili in argumento versantur ell. IV, 2 et 8. eodem consilio scriptae. Nam in el. IV, 2 poëta, se in Helicone somniantem ad eos fontes accessisse, unde Ennius pater quondem hausisset, fingit, sed revocatum se esse ab Apolline ipso, qui in carmine amatrio solo laudem et gloriam ipsi esse sperandam pronuntiasset. Denique a Calliopa ipsa ut elegias pangeret amatorias se esse admonitum. In el. autem 8 iterum atque iterum a Maecenate admonitus, ut maiora sibi celebranda sumeret, se onus numquam esse suscepturum, cui vires suae sint impares asseverat. Se potius Maecenatis ipsius exemplum sequi, qui quamvis Caesaris amicitia summos reipublicae honores adipiscendi facultas ei sit data, tamen a vitae tumultu remotus otium tutum quaerat, Caesaris amicitiam satis magnam sibi gloriam ratus. Hunc igitur ita sequi se velle, ut relicto magnifico illo et glorioso scribendi genere, a pueris puellisque laudetur amantibus, hoc uno contentum, quod a Maecenatis partibus stetisse quondam dicatur.

Mitto singulos versus, quibus elegiis amatoriis unice sese esse daturum poëta pronuntiat; elegiis modo allatis carminum suorum naturam et indolem describit verbis tam perspicuis, ut nisi carmina amatoria nulla in ejus voluminibus nos esse inventuros putemus, cum praesertim ad aliud poësis genus se nec natum esse nec vires suas sufficere profiteatur. Et re vera in quatuor prioribus Propertii libris argumenta non amatoria exhibent carmina haec: I, 21. 22. III, 1. 29. IV, 4. 6. 17. 22; omnium autem reliquorum carminum argumenta ad amores spectare, mirum esse non posse concedes, si poëtae vitam totam versari in amoribus consideraveris. Nam primo statim adolescentiae anno praetexta vix posita Lycinnam quandam adamabat, futurae ipsius donimae servam, qua Veneris sacris se esse initiatum dicit (IV, 14 sqq.). Hand ita multo post in durius Cynthiae servitium est delapsus, quam solam

(I, 12, 19. II, 6, 41. IV, 14, 45.) et tanta fide (I, 19, 5. III, 9, 17. IV, 24, 7—14. cett.) amabat, ut quinque annos puellam perfidam patienter et vix viro digne coleret. (IV, 25, 3.) Huius puellae ocellis animum suum ita esse captum profitetur poëta, ut et animi affectus et mentis inflammatio et poëticus ipse furor (II, 1, 1—16. III, 28, 40) ab illa sint repetenda. In puella igitur cum poëtae affectus, e quibus proficiscuntur carminum argumenta, sint positi, quidquid dicit illa, quidquid facit, occasiones ei praebet ad longas Iliadas componendas (II, 1, 14.) Itaque argumenta, quaecunque tractanda sibi proposuit ad hunc unum amorem refert, ita ut quatuor illi priores libri tamquam unum et perpetuum efficiant opus, in quo nisi amorum lusus, casus, insanias, nihil fere poëta memoriae tradit. Denique omne Propertii ingenium omnisque mentis inflammationem ad Cynthiam esse referendam, maximo esse potest testimonio illud, quod Cynthia tandem dimissa carmina amatoria fere nulla a poëta sunt composita: Mortua autem Cynthia, cum summus, quo amplexus erat illam, amor ne foedissima quidem perfidia plane esset exstinctus, a se impetrare non potuit, quin flebilibus elegiae modis debita puellae tam vehementer amatae solveret, ita ut suo jure dicere posset: Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit (I, 12. 20).

II. Discrimina, quae intercedunt inter singulos elegiarum libros.

a) De argumentis.

Quod poëtae vitae condicione exposita atque argumentis ex ejus elegiis desumptis universe modo indicavi, Cynthiam esse fontem poësis Propertianae, accuratius persequar singulis quatuor priorum librorum carminibus perlustrandis, ut demonstrem primum harum elegiarum summam esse Cynthiam, deinde defervescente sensim amore Propertium se convertere ad argumenta omnium poëtarum amatoriorum propria, quin etiam plane eum recedere a poësi amatoria et argumenta sibi proponere tractanda severiora atque graviora.

In singulis vero elegiis tractandis ita versabor, ut carmina illa, quae in Cynthia celebranda poëtaeque amore illu-

strando esse occupata primo obtutu apparet, enumerem, ex reliquorum autem argumentis, quorum causa atque origo num a poëtae erga Cynthiam amore sint repetendae dubium videri potest, quatenus ad illum pertineant, eruere studeam.

Atque libri I elegiarum 22 ad Cynthiam ipsam missae unt 6, sc.: 2. 8. 11. 15. 17. 19; in puella vero poëtaeque amoribus celebrandis versantur 8 sc.: 1. 3. 4. 5. 6. 12. 14. 18. Jam earum, quae restant, elegiarum duas, 7 et 9, arctissime inter se conjunctas, si quidem illa jocatur Propertius, etiam Ponticum, superbum poëtam epicum vim amoris esse experturum, hac id ipsum accidisse gaudet, ad eandem causam esse referendas docent primi c. 9. versus:

„Dicebam tibi venturos irrisor amores
Nec tibi perpetuo libera verba fore.“

plane respondentes extremis c. 7. versibus:

„Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu:
Saepe venit magno fenore tardus Amor.“

Atque c. 7 argumento, quo Pontico utpote poëtae epico, ne prorsus contemnat levioris carminis amatorii modos suadet Propertius, collato cum el. 9 v. 1 apparet, Ponticum ludibrio habuisse eum, quod totus esset in amoribus canendis nec valeret animo ad carmina epica pangenda. Utraque igitur elegia arctissime conjuncta est cum poëtae amore, cujus ultro utraque (7, 5—14. 9, 5—7) est plena.

Simili quodam vinculo inter se junctae sunt ell. 10 et 13 ad Gallum amicum scriptae; in el. enim 10, cum quantopere gavisus sit, Gallum puellae cujusdam amore flagrare coepisse (vv. 1—10.) exponat Galloque quomodo puellae caritatem retinere possit ut demonstret, quid Cynthia se ipsum docuerit, enarret (vv. 12—30) Propertius, in c. 13, respiciente illo vv. 14 sqq. el. 10, graviter incusat Gallum, quod ita non ipsius amor illi curae sit, ut malis, quibus ipse in amore urgeatur, laetetur. Quamvis igitur cui par pari referatur dignus sit, tamen ut puellae amor, quo incensus sit, felix et perpetuus fiat, se optare dicit. Quibus perspectis el. 10 quamquam non tam a Propertii, quam Galli amore exardescente proficisci illam argumentum docet, tamen eo cum Propertii amoribus

arctissime esse conjunctam unusquisque concedet, quod poëta amico ad servandum puellae amorem ea dat consilia, quae Cynthia ipsum docuit (vv. 15—30), ita ut totum carmen quodammodo redeat ad rationem describendam, qua utitur noster in Cynthiae amore colendo. El. vero 13, quoniam effecta est cavillatione, qua Gallus propter Cynthiae levitatem et perfidiam Propertium vexavit, ex huius amoribus esse enatam in propatulo est.

Sequitur el. 16, in qua januam loquentem inducit Propertius. Hanc elegiam cum Hertzbergius (transl. germ.) rationis aliquid habere cum aliqua poëtae vitae condicione non esse veri dissimile existimet, Knauthius l. l. docet necessario ad poëtae ipsius amorem esse referendam, quia primum certa janua certusque amator describantur, deinde ipsa amantis condicio quadret in Propertium, denique hoc carmen sc. de „se" compositum respiciat poëta in el. 18. vv. 23 et 24; quibus cum conferri possint nostri c. vv. 17 sq. His de causis, quas attulit Knauth, cum praesertim totius amoris condicio et pluribus huius libri carminibus (cf. 1. 13. 15. 18. alia) ita sit descripta et argumentis ex singulis elegiis desumptis a nobis supra ita sit adumbrata, ut querentem de puellae crudelitate Propertium in januae limine prostratum inveniri mirum esse non possit, cum ad confirmandam Knauthii sententiam addi possint vv. IV, 25, 9 et 10, quibus puellam valere jubet poëta, atque vv. IV, 6, 71 et 72, dubium mihi non esse videtur, quin hac elegia, quomodo ipse puellae perfidae amorem sibi reconciliare studuerit, exponat Propertius.

In ultima amatoriarum huius libri elegiarum 20 nulla inest Propertii amoris mentio. Summa enim huius carminis argumenti continetur Herculis et Hylae fabula eo consilio a poëta enarrata, ut Gallo Hylas, deliciae, majori curae sit. Ex elegiae igitur argumento, quoniam ne verbo quidem poëtae amor tangitur, quamquam sui ipsius amoris condicione esse adductum eum, ut Gallum admoneret, colligere non possumus, tamen id ipsum meo jure suspicari posse existimo ex tota amoris ratione, quae libri I elegiis cernitur. Etenim cum

Propertius in el. 10, ut Gallo demonstret, quomodo puellae amorem possit fovere, quoniam Cynthiae consuetudine omnibus amorum vicissitudinibus initiatus quid cavendum, quid colendum sit optime praescribere possit (I, 9, 5—8), rationem quae ipsi intere cedat cum puella amata describat, cum plures elegiae velut 1. 13. 15—18. satis luculenter doceant, fortunam nostrum deseruisse amatoriam omnesque conatus pristinae felicitatis recuperandae ad irrita cadere, denique cum omnia libri I carmina amatoria aut ex ipso amore, quo amplexus est Propertius Cynthiam, sint profecta aut societate quadam naturali cum illo sint conjuncta, non sine aliqua probabilitate ponere mihi videor, Gallum ut prospiciat amoribus suis ea de causa admoneri a Propertio, quia sua imprudentia ipse in amore damnum fecerat, quam conjecturam admodum commendant el. 17. vv. 1 et 2:

„Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
Nunc ego desertas alloquor alcyonas“:

comparati cum Herculis exemplo (20, 15 sqq.), qui Hylam, delicias, in terris ignotis solum vagari siverat. Quibus causis diligenter examinatis jure contendere mihi videor, hoc quoque carmen interione quodam vinculo cum poëtae amoris condicione esse connexum.

Restant elegiae non amatoriae 21 et 22, quarum altera Gallo cuidam, propinquo, a latronibus in fuga interfecto justa solvit, altera unde ipse sit ortus, paucis exponit poëta. Jam cum el. 21 profecta sit ex officio tribuendi mortuo honores debitos, el. autem 22 eo consilio sit composita, ut elegiarum librum I, quem a ceteris separatum a poëta ipso esse editum constat, concluderet aptissime et nomen poëtae ad id tempus incognitum aperiret et in lucem proferret, utraque suam habet explicationem, ita ut summam, quae singulas libri I elegias perlustrantibus quasi sponte nobis occurrit, omnes huius libri elegias e Propertii amoris condicione esse effusas, nequaquam tollat.

Secundum, qui sequitur, librum paucis absolvi licebit, quoniam poëta, postquam in c. 1. Maecenatem, qui ut maiora quam res amatorias sibi celebranda sumeret eum erat adhortatus,

repulit eo, quod puellam solam non deos poëtarum patronos sibi esse ingenium dicit, inde a 2 usque ad extremam libri elegiam descriptis lusibus, gaudiis, casibus, qui sibi nascantur ex Cynthiae amore, cujus vinculis nisi mors (4. 8. 9.) ne ipsius puellae perfidia quidem (9,44.) ipsum possit exsolvere, nobis proponit quodammodo vitae aliquam partem in amore totam peractam. Quo in libro cum omnium elegiarum originem et fontem Cynthiam esse itelligendam luce sit clarius, transeamus ad librum III, de quo uberius aliquanto dicendum erit.

Atque huius libri elegiae longe plurinae missae sunt ad Cynthiam ipsam, dico. 2. 5. 6. 8. 10—14. 19—21. 27. 28. 30. 31; nec multo minor est numerus earum, quae in Propertii erga Cynthiam amore illustrando versantur sc. 4. 7. 9. 18. 22. 24. 26. 32. Jam vero in el. 1 poëta, quem totum esse occupatum in amoribus suis celebrandis adhuc vidimus, subito relictis Amoris castris, neglecta Cynthia res a Caesare gestas epicis carminibus se esse celebraturum pronuntiat. Atque quaerentibus nobis, quomodo fieri potuerit, ut Propertius a se impetraret, ut poësin amatoriam, cui soli se esse natum ubique profitetur, relinqueret, respondendum erit, carmen ea tantum tempestate conditum esse posse, qua inimicitiis cum Cynthia factis eam non jam dignam esse, quae suis carminibus celebraretur, sibi ille persuaserat. Hanc autem esse causam, unde huius elegiae origo sit repetenda, cum querelae de puellae inconstantia et perfidia, quarum plenae sunt puatuor priores libri, quosque quodammodo in unum locum redactas exhibent II, 5. 6. 8. 9: tum nostri carm. v. 8. „Bella canam, quando scripta puella sat est“ et secundi vv. 1 et 2:

„Scribant de te alii vel sis ignota licebit:
Laudet, qui sterili semina ponit humo“

demonstrant. Jam omissis hoc loco omnibus illis quaestionibus, quibus hoc carmen prae ceteris difficile tentarunt vv. dd., e causis modo allatis pro certo affirmari potest, c. III, 1, quo summam poëtae erga Cynthiam voluntatem plane in contrariam esse mutatam perspicitur, inde esse profectum, quod ille puellam non esse dignam, quam aut tam ardenti tamque fideli amore amplecteretur aut carminibus suis coleret, sibi persuasit. Quae

si recte a me sunt posita illud, quod jam tota librorum I et II ratione, imprimis autem ell. I, 16 et 20 satis demonstratum est, iterum iterumque evincitur, argumenta, quaecunque tractanda sibi proponit Propertius, respondere semper variis erga Cynthiam voluntatibus vel proficisci e condicione, quae intercedit inter amantes.

Quod cum ex III, 1 sequatur, c. 29, quod item exhibet argumentum non amatorium, documento esse potest, Propertium omnium amatorium poëtarum morem secutum id agere, ut non solum, quae in ipso amore sunt posita, celebret, sed diversissima et disjunctissima quaeque omnemque, ut ita dicam rerum naturam ad amorem dirigat omnibusque, quae dicat quasi notam amoris imprimat. El. enim 29 splendorem atque magnificentiam aureae Phoebi porticus ita describit, ut sero se venientem eo, quod templum illud modo fuerit apertum, apud Cynthiam excusat.

Huius rationis simillima utitur noster in el. 23, qua eorum, qui quando mors sibi instet investigent, studium vituperans eo deflectit, ut amanti soli providendi hoc facultatem esse datam dicat. At elegia ista non solum hoc externo atque trito quodammodo vinculo consoçiata mihi esse videtur cum reliquis carminibus amatoriis, immo hanc quoque elegiam item ac modo tractatas penitus poëtae niti amoribus existimo. Propertii enim pro summo, quem ubique prae se fert animi fervore atque aestu, prae ceteris poëtis proprium est, se suaque omnia conjungere cum puellae amore, ita ut in el. II, 1 ad Mcecenatem missa profiteatur haec:

„Laus in amore mori, laus altera si datur uno
Posse frui: fruar o solus amore eo.“

et (vv. 51 -- 56):

„Seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae, e. q. s.
Una meos quoniam praedata est femina sensus,
Ex hac ducuntur funera nostra domo.“

ut in ejusdem libri el. 4, qua grave lamentatur amoris servitium pronunti et (vv. 19 — 24):

Quippe ubi cett . . . .
Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger
Huic nullum caeli tempus et aura nocet:
Ambulat, et subito mirantur funus amici:
Sic est incautum, quidquid habetur amor."

ut Cynthiae perfidiam certam sibi esse mortem dicat II, 8b, 17 et 18 atque 25—28, quocum conferas IV, 16,9 et 10; ut denique in el. III, 9, cum Cynthia ipso rejecto alterum quendam sit secuta postulet, ut Amores vita ipsum privent (vv. 35—40) aut sibi coram puella amata pugnanti mori liceat (vv. 51 et 52).

His autem versibus, quibus alii simillimi facile addi possunt, cum profiteatur poëta Cynthiae perfidiam vita se superare non posse, patet hoc carmen non solum, quod placuit Hertzbergio (transl. germ.) esse descriptionem quandam vitae condicionis, qua omnes semper utantur amantes, ceteroquin tritam saepiusque a poëtis amatoriis usurpatam, sed profectum esse illud ex propria intimaque poëtae animi sententia, quam eum de amoris sui condicione concepisse tot testantur elegiae.

Jam quatuor quae restant elegiarum cum in 3 eo, quod descripta Amoris dei effigie sagittis et alis instructi, pennas illum perdidisse sibi videri dicit, quoniam de pectore suo numquam evolet assidueque in suo sanguine bella gerat, admodum festive summam erga Cynthiam amorem describat, ell. 15. 16. 17 docemur, quod antea de amoribus suis pronuntiaverat (II, 1,47, 48):

„Laus in amore mori, laus altera. si datur uno
Posse frui: fruar o solus amore meo!"

plane in contrarium esse mutatum (III, 15, 35 sp.):

„Aspice, uti coelo modo sol modo luna ministrat,
Sic etiam nobis una puella parum est."

In el. enim 15 poëta Demophoonti cuidam confitetur novis quotidie amoribus se esse deditum et excusat hanc consilii sui mutationem his verbis (vv. 17 sq.):

„Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid semper amare dedit;"

n el. autem 16 hanc ipsam amandi rationem prohibere a desiderio illo, quod fidelider amantem plane conficiat, dicit;

in el. 17 denique vilium mulierum amorem probat eo, quod quamvis tota libertas nulli amanti restet, omnesque hic acerbiorem, ille leniorem servitutem subeant, mitiorem tamen esse dominam libertinam ejusque jugum tolerabilius.

Atque cum jam ea, quae summatim de horum carminum consilio attuli, demonstrent, causam huius plane commutatae et vitae et morum rationis Propertii repetendam esse a fastu, frigore perfidia Cynthiae, poëta hoc ultro testatur cum el. 15 vv. 37—40:

„Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum,
Ant si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea."

tum toto c. 18, imprimis vv. 5—10:

„Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis, ctt" . . .

et v. 16:

„sedme
Fallaci dominae jam pudet esse jocum."

In tribus vero his elegiis puellae ipsius atque amoris, quo illam est amplexus poëta nisi prorsus leviter 17, 1, 2:

„Cui fuit indocti fugienda haec semıta volgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est."

nullam fieri mentionem memorabile et ad id, quod demonstrare nobis proposuimus, non levis esse momenti in tractandis libri IV elegiis elucebit.

Perlustratis igitur tribus prioribus libris, cum probatum sit, omnes horum librorum elegias, duabus exceptis (I, 21 et 22), intima conjunctas esse societate cum poëtae erga Cynthiam amore, jam ex eo, quod in l. IV, qui sequitur, ex 25 elegiarum numero tantum 8 sc. 7. 9. 14. 18. 19. 21. 24. 25 ad Cynthiam ipsam sunt missae et 4 modo sc. 5. 15. 20. 23 ad puellam ejusque amorem pertinent, inter huius et priorum trium librorum elegias intercedere aliquid, colligere possumus; quae differentia qua re cernatur, excutiendis complurium huius libri elegiarum argumentis eruere studebimus.

In ell. 1. 2. 8 cum poëta ad carmina amatoria, quibus puellam amatam celebret, se unice esse natum profiteatur, cum plerisque ell. 5. 7. 9. 14. 15. 20 perennem esse fidem

suam asseveret, (cf. 14. 45 et 46), reliquae huius libri elegiae imprimis 21. 24. 25 intimam poëtae animi sententiam perpetua Cynthiae inconstantia atque perfidia plane aliam esse factam docent. Et enim cum in tribus prioribus libris poëta, quamvis puellae levitate atque perfidia, quarum tot carminum argumenta documento nobis sunt, iterum iterumque inimicitiae sint exortae, non solum non desistat fateri, se non posse sine amore ejus vivere, sed etiam ut in gratiam cum ea redeat, vehementer gestiat, nunc quoniam persuasum habet, se quamvis fidelem numquam solum ejus amore esse fruiturum neque etiam amorem puellae quamvis perfidae et levis ex animo suo umquam iri sublatum, dum eodem atque illa loco versetur, in fuga sc. Athenarum itinere (el. 21) remedium quaerit amoris. Nimirum Roma et Cynthia relictis (el. 21. vv. 31 sqq.):

„Aut spatia, inquit, annorum aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito volnera nostra sinu:
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis honesta dies;“

quibus versibus amoris simul commutatio luculenter indicatur. Quodsi impetrasse tandem a se poëtam, ut turpibus inhonestisque Cynthiae vinculis se exsolveret, hoc carmine docemur, ell. 24 et 25, quippe quibus descriptis fide sua illiusque pravitate atque nequitia puellam valere jubeat, quod apud animum statuerat, re vera perfecisse eum demonstrant.

Iam vero cum tres priores libros perlustrantes evicerimus, elegiarum argumenta respondere semper Propertii erga Cynthiam amoris condicioni, reliquas quoque libri IV elegias accommodatas esse poëtae affectibus plane inter se contrariis, expressis illis in elegiis modo adumbratis veri est simillimum.

Atque carminum eorum, quibus quod modo dixi, demonstrandum erit, primum occurrunt tria: 3. 4. 6, in quibus simillima, qua in III, 23 et 29 utitur ratione argumenta aut, velut 3 et 6, redeunt ad poëtae ipsius amores, aut velut 4, ab illis initium capiunt. In el. enim 3 nova Augusti bella novasque quas exspectat victorias ita celebrat poëta, ut animo triumphum praecipiat, quem in sinu carae nixus puellae spectaturus sit; in el. deinde 6 Paeti amici mortem ita

deplorat, ut postquam avaritiam, tot malorum causam, quae amico quoque perniciëi fuisset, accusavit, in solitum carminum suorum redeat orbem his vorbis:

„At tu, saeve aquilo; numquam mea vela videbis:
Ante fores dominae condar oportet iners;"

in el. denique 4 inde exorsus, quod ipsi, cui utpote amanti pax sola cordi esset, non nisi cum puella amata bella essent gerenda, postquam in eorum invectus est studium, qui summis cum vitae periculis divitias sibi quererent, se potius velle et bibere et canere et amare dicit, donec aetas hac vivendi ratione ipsum desistere jubeat.

In tres has, quarum argumenta adumbravimus elegias cadere illud, quod de III, 23 et 29 diximus: poëtam, ubi occasione data argumtum a poësis suae ratione alienum tractandum ipsi offeratur, hoc arctissime connectere cum amoribus suis, non est quod moneam. Haec autem carmina, cum ad eorum numerum sint referenda, quibus omnem poëtae cogitationem ad Cynthiae spectare amorem docemur, quae restant elegiae (10. 12. 13. 16. 18. 17. 11. 22.) eo, quod Cynthiae amorisque poëtae primum raro, deinde nulla fit mentio, poëtae amorem immutari documento esse possunt.

Atque primum in ell. 18. 12. 13. qua causa adduci possit Propertius, ut Cynthiam relinquat exprimitur. In el. enim 18 Cynthiae omnibus viris objicienti, non posse illos coërcere libidines respondens poëta idem opprobrium plane in mulieres convenire dicit et argumentis e fabulis depromptis comprobat. In el. deinde 12 vehementissime invehitur in mulierum puellarumque pravitatem, levitatem, avaritiam in dies crescentes, quarum originem repetendam esse existimat a luxuria procreata illa infinitis ex oriente Romam adductis divitiis, quibus omnis pudicitia atque verecundia extinquantur. Quapropter eas gentes, apud quas fides adhuc valeat, beatas praedicat atque tempora illa, quibus dei ipsi hominibus vitam agentibus verecundam pudicam, integritatis atque innocentiae plenam familiariter usi sint, opponit suae aetati, qua integritas atque fides cesserint auro et quae huius vestigiis instent turpitudini atque libidinibus, quas Romae ut olim Paris Troiae

exitio esse futuras in carminis fine vaticinatur. Denique in el. 13 poëta opponit mores Spartanos Romanis, eo nempe consilio, ut descripta utriusque generis Spartanorum assidua inter se consuetudine posita illa in morum integritate, innocentia, fide, pravitatem nequitiamque mulierum Romanarum quam luculentissime illustret. — Hoc consilio, quod recte perspexisse mihi videor, si scriptum est carmen, quantum a vero aberraverit Hertzbergius, qui (transl. germ.) nullo interiore cum ceteris carminibus illud esse conjunctum connexu contendit, patet; immo compositum est c. 13 item atque ell. 12 et 18 ad exprimendam animi offensionem, qua affectus est Propertius mulierum pravitate atque nequitia. Nimirum custodes illi, quibus Romae mulieres admodum suspiciose sunt circumdatae (13. 29. 30.), fidem atque fiduciam evanuisse, leonocinia autem, quibus viros decipere student illae (13. 27. 28.), calliditatem atque versutiam florere clamant; at licentia illa libertasque vivendi, quam Spartae vigere noster refert, ubi puella nuda nec tamen erubescens sociam se adjungat viris luctantibus (13, 3 sqq. 19. 20.), ubi amans a puella numquam discedat amata (13, 21. sqq.), non nisi morum probitate niti possunt.

Tribus igitur his elegiis vehementissima, quam contra mulieres animo concepit poëta offensio exprimitur, quam offensionem repetendam esse a Cynthiae consuetudine atque vita, etiamsi el. 18. vv. 1 et 2:

„Obicitur totiens a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis e. q. s.“

diserte non testentur, ea, quae de priorum librorum elegiarum ratione statuimus, comprobant. Nimirum Cynthiam aetatis suae mores secutam vitiis flagitiisque ita se dedisse, ut pedetentim et gradatim poëtam, qui ut negligeret ejus perfidiam atque levitatem a se impetrare potuerat, a se alienaret, elegiae modo tractatae cum ell. 24 et 25 ad Cynthiam ipsam missis comparatae docent. Quare ex amorum condicione profectae quamquam plane respondent propriae poësis Propertianae rationi, tamen a priorum librorum elegiis, quarum argumenta similem quandam amorum condicionem puellae moribus adductam indicant, velut I, 1. 2. 13. 16. 17. cett: recedunt eo, quod

poëta, cum in illis, postquam conquestus est puellae mores, asseveranda sua ipsius fide et precibus quam vehementissimis obtestetur et obsecret illam, ut fidem virtutemque colat, in nostris carminibus non sine magno dolore totus ab illa se avertens invehitur in aetatis suae nequitiam, mulierumque pravitatem, ita ut praeter allocutionem illam satis levem in el. 18 adhibitam nec Cynthiae neque omnino amoris sui mentio fiat ulla.

Quod modo observavimus, elegiarum argumenta recedere paulatim a poëtae amoribus, idem invenimus in ell. 10 et 16, quae exorsae ex amoris condicione poëtam amori repugnantem ostendunt. In el. enim 10 se non valere ad excutiendum durum inhonestumque Cynthiae jugum, quod ab amico opprobrio sibi esse habitum fingit, eo refutat, quod exemplis e fabulis desumptis puellae servitium sibi nequaquam turpe esse, quoniam mulieres de natura atque deis quin etiam de patre deorum magnos egerint triumphos, comprobat. Atque etiam magis se excusari Cleopatrae exemplo, quae Romam ipsam excidisset, nisi unus ille Augustus, in cujus laudibus tota quae restat elegiae pars versatur, fuisset. Qua in elegia cum, quod illustrare voluit se dominae vinculis exsolvi nullo modo posse, ingenue profiteatur poëta, in el. 16 Bacchum deum, ut donis suis ipsum liberet amore, quem neque obliterare nec sibi conciliare possit, adorat. Nam

„Hoc mihi, inquit, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt aut tua vina malum.“

Jam vero si quietis quam maxime exoptatae compos factus sit, fidelissimum se dei ministrum et satellitem vites positurum atque vatem ejus triumphum esse celebraturum.

Utraque igitur in elegia poëta inde exorsus, se quamvis cupientem Cynthiae amoris oblivisci non posse, in altera mulierum imperio illustrato totus est in Caesare celebrando, in altera in rebus a Baccho gestis laudibus adornandis.

Quae cum ita sint elegiae modo tractatae indicant illud, quod el. 21 se esse facturum et ell. 24 et 25 fecisse se testatur Propertius, atque ita quidem, ut ell. 12. 13. 18. causam, ell. 10 et 16 rationem, quibus ut Cynthiam rejiciat fieri possit, indicent. Cum hoc autem consilio tandem capto arctissime

esse conjunctum vel potius sequi ex hac plane mutata animi sententia consentaneum est, argumenta vulgaria et graviora, quae omnibus omnino poëtis illius imprimis aetatis sunt familiaria, submovere illa, quae integro amore praevalebant. Amoris igitur condicioni plane est accomodatum, poëtam in ell. 10. 16. 18. prorsus leviter attingentem amorem suum cum de suae aetatis agere moribus tum versari in rebus ab Augusto gestis laudandis et in Baccho deo celebrando, in ell. autem 12 et 13 amorem suum omnino negligere.

Multo vero magis, quod modo dixi comprobatur iis, quae restant, huius libri ell. 11. 17. 22, quippequae neque ullo modo connexae sint cum poëtae ipsius amoribus — quod tamen in carmina modo tractata cadere vidimus — et argumenta tractent partim minime amatoria (17. 22.)

In el. enim 11 Posthumum, qui ut divitias sibi quaereret, Augusti signa erat secutus, laudatis amore et fide uxoris dignae, quae ut altera celebretur Penelope, ex remotissimis terris ut redeat adducere studet. In el. deinde 17 M. Claudii Marcelli, Augusti ex Octavia sorore nepotis, mortem praematuram deflet. Quem juvenem, qui vicesimum demum annum agens subita morte est exstinctus, cum Augustus summo amplexus sit amore, hoc carmen eo consilio compositum esse videtur a Propertio, ut Caesaris animum sibi conciliaret. Jam vero quoniam ell. IV, 3 et 4, multo autem magis el. 10 perspici potest, poëtam eniti quodammodo hoc in libro ad amplificandas Caesaris laudes, cum in priorum librorum elegiis, excepta III, 1., non nisi perraro atque fortuito Caesaris fiat mentio, quod ell. 12. 13. cett. comprobari dixi, confirmari mihi videtur, poëtam hoc in libuo avertentem se a Cynthia argumenta sibi proponere tractanda et graviora et usitata atque trita.

In el. denique 22 Tullum amicum, qui loci amoenitate captus diutius Cyzici remanserat, ut revertatur Romam invitat, patriae praestantiam atque majestatem, qua prae aliis urbibus et regionibus excellat, praedicat eumque ut hic patrios honores consequatur admonet, neque vero amoris lusus et gaudia, qui mos est nostri, primo loco collocat.

Quoniam igitur ell. 3. 4. 6. florere adhuc Propertii erga

Cynthiam amorem documento sunt, quoniam reliquae 10. 11. 12. 13. 16. 17. 18. 22. refrigerari illam demonstrant, satis quod erat propositum evicisse mihi videor, omnes libri IV elegias respondere illis poëtae animi affectibus, qui indicati sunt in carminibus ad Cynthiam ipsam scriptis.

Jam vero rationem illam, qua elegiarum modo tractatarum argumenta a poëtae ipsius amoribus paulatim recedunt, ita ut ne profecta quidem sint nonnulla ex amorum aliqua condicione, indicium esse admodum perspicuum, Cynthiae amore se abdicare Propertium, primum quidem apud hunc, quem ita se finxisse ad puellae arbitrium, ut tota ejus poësis ex hoc uno amore effunderetur demonstravimus, per se patet, deinde vero sequitur ex nonnullarum libri I elegiarum ratione, quae in simili quadam amoris condicione sc: discidii illius temporibus, quo interruptum fuisse amorem constat, scriptae sunt [1]). His enim in elegiis omnibus (sc: 1. 12. 13. 16. 17.), ita non se avertit Propertius a puella, ut amore et fide asseverandis illam sibi reconciliare studeat. Nimirum summo erga Cynthiam amore erat incensus amorisque aestum atque fervorem carminibus nobis proponit; plane aliter res se habet in ell. IV, 10. 11 cett.: poëta non solum non aut vix Cynthiae mentionem facit, sed tractat argumenta extra amores posita, usitata, trita; quid? quod, ubi tangit amorem, eo consilio tangit, ut et animi sui offensionem et amoris illius vacationis desiderium exprimat: Nimirum quod factum esse extremae huius libri elegiae demonstrant, indicatur, Propertii erga Cynthiam amorem sensim dilui. — Idem porro confirmatur ell. III, 15. 16. 17, quas ea tempestate conditas esse, qua Propertio cum Cynthia erant inimicitiae et ipsarum et aliarum ejusdem libri elegiarum argumentis doceri, supra exposuimus. His enim in carminibus itidem ac in libri IV elegiis modo tractatis nisi prorsus leviter (17, 1 sq.) Cynthiae nulla fit mentio, quia Propertius puellae perfidia eo est adductus, ut levium puellarum uteretur consuetudine.

Hoc vero comprobato illud quoque demonstratum esse videtur — quod ut probetur res ipsa postulat — extremis

[1]) cf. Eschenb. l. l. p. 92. adw.

poëtae erga Cynthiam amoris temporibus ell. 10. 11. 12 cett. esse conscriptas. Neque omnino alia tempestate carmina illa condi potuisse a poëta cum elegiae librorum I et III modo allatae tum argumenta, quibus continentur atque consilium, quo sunt conscripta, clamant. Neque desunt certa temporum vestigia, quae elegias, de quibus agimus, ad amoris finem pertinere ostendunt. El. enim 11 annum sibi poscit a. U. c. 732, quoniam spectat ad expeditionem Parthicam hoc tempore paratam [1]; el. deinde 17, qua Marcelli mortem deflet poëta, referenda est ad a. 731, quoniam hoc anno juvenem illum subito in Baiano praedio esse mortuum Dione Cassio auctore (LIII, 30) constat [1]. Denique el. 22 ad Tullum Cyzici morantem missa, iisdem fere temporibus ascribenda esse videtur. Nam cum valde sit probabile [2], Tullum illum cum M. Valerio Messala a. 724 ab Augusto cum imperio in Asiam misso ad turbas ab Antonii gladiatoribus excitatas componendas (Cass. D. LI c. 7), in Asiam esse profectum (el. I, 6), computatis et illo temporis spatio, quo Messala gladiatoribus in Syria fugatis rerum ordinandarum populorumque in deditionem accipiendorum causa totam Asiam minorem percurrit Cyzicumque deinde se contulit, et „tam multis“ illis annis, quos in perlustrandis Asiae urbibus commoratum esse Tullum vv. 1 sqq. Propertius refert, veri non est dissimile, a. 730 vel 731 c. 22 esse conscriptum.

Quapropter cum dubium jam non sit, quin haec carmina, quae plane extra amores poëtae sunt posita, propter certa, quae in iis insunt temporum vestigia, extremis amoris temporibus, quem a. 732 non excessisse constat, sint attribuenda, cum ceteras ell. 10. 12. 13. 16. 18 propter argumenta, quae exhibent, necessario ad amoris finem esse referendas demonstraverimus, tota libri IV elegiarum ratione comprobatur, poëtam amore deficiente animum applicuisse ad argumenta graviora atque austeriora, atque hac ipsa re proprium cernidiscrimen, quod inter quartum et tres priores intercedit libros.

---

[1]) cf. Hertzb.: Q. l. III. p. 226. Luetjoh.: Commentt Prop. p. 82.
[2]) cf. Barthii edit. Prop. praef. p. LXXX. Eschenb. l. l. p. 90.

Nimirum Propertius doctus calamitate illa, quam Cynthiae amore erat expertus sanus tandem factus erat (IV, 24, 17—20) atque aestus ille amoris cesserat gravitati cuidam animi, quam gravitatem non solum in carminibus modo tractatis, sed etiam illis vere Propertianis, dico eas huius libri elegias, quae aut ad Cynthiam ipsam missae aut poëtae ipsius amorum sunt plenae, perspici licet.

Jam quod ad huc evicisse mihi videor, Propertium refrigescente amore applicuisse animum ad argumenta austeriora atque graviora confirmatur denique atque comprobatur el. III, 1. Hanc enim elegiam, quam argumenti sui ratione a trium priorum librorum elegiarum natura atque indole plane recedere vidimus, scriptam esse abdicata in perpetuum Cynthia postquam monuit Lachmann,[1]) argumentis ex ipso carmine desumptis confirmaverunt Eschenburg (l. l. p. 94) et Luetjohann (l. l. pp. 77 sqq.), ad quos unumquemque revoco. Argumenta vero a vv. illis dd. prolata quoniam demonstrant, c. III, 1, quo uno ex omnibus quatuor priorum librorum carminibus, se poësi amatoria relicta carmina epica esse conditurum poëta pronuntiat, Cynthia excussa esse compositum, recte a me positum esse apparet, primum elegias illas libri IV, in quibus a Cynthia amoribusque suis celebrandis se avertens Propertius argumenta tractat austeriora atque graviora, indicium esse amoris defervescentis, deinde quoniam eodem carmine (III, 1) transit ille ad Caesarisgloriam amplificandam resque ab illo gestas laudibus adornandas, argumenta quae huius similia saepius velut 3. 4. 10 in l. IV inveniuntur, idem indicare. Denique quoniam poëta cum ell. IV, 10. 11. 12 ctt., tum hoc c. III, 1 ad alia omnino argumenta aggreditur, quam quae vigente amore tractanda sibi proposuerat, illud quoque demonstratum est, errasse Hertzbergium [2]), qui una cum amore Musam quoque Propertii conticuisse existimat.

Sed ut redeam unde digressus sum, ex iis, quae de singulis libri IV elegiis disputavimus apparet, illud, quod de

---

[1]) cf. Lachm. ed. Prop. prior. praef. pp XXV sq.

[2]) Q. l. I, p. 45.

trium priorum librorum carminibus statuimus, duobus dumtaxat exceptis (I, 21. 22), aut ex ipso amore esse effusa illa, aut familiari quadam societate cum poëtae amore conjuncta, in omnia huius quoque libri praeter tria illa 11. 17. 22 cadere.

Quae cum ita sint elegiarum Propertianarum, quibus quatuor priores continentur libri natura propria in universum ita definienda esse videtur, ut fontem omnium communem esse amorem dicamus, quo Cynthiam amplexus est Propertius. Ipsorum enim carminum argumenta testantur illud, quod profitetur poëta II, 1, 3 et 4:

„Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo,
Ingenium nobis ipsa puella facit;“

atque quod pronuntiat I, 11, 25 et 26:

„Seu tristis veniam seu contra laetus amicis,
Quidquid ero dicam: Cynthia causa fuit.“

non solum in ipsum, sed in totius ejus poësis rationem cadere demonstrant.

Perspecta igitur quatuor priorum librorum elegiarum natura transeamus ad librum V, ut quaenam differentia, si argumenta spectamus, intercedat inter huius et priorum librorum elegias videamus.

Atque plane aliud atque in prioribus libris se sequi consilium poëta ipse profitetur in eo libri V carmine, quod primo loco positum invenimus, cum dicit: (V, 1, 59, 60.)

„Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.“

Cui consilio respondent complurium libri V elegiarum argumenta (2. 4. 6. 9. 10.) quippe quibus Romae urbis sacrorum et cognominum locorum originem illustret poëta. Sed eorum, quae restant carminum (3. 5. 7. 8. 11.) argumenta ab hoc, quod c. 1 pronuntiavit consilio plane abhorrent, immo haec (5. 7. 8.) Propertii ipsius tractant amores, illa (3. 11.) in argumentis, quorum similia exstant in prioribus libris versantur.

Atque ut in disserendo de l. V carminibus initium capiam ab iis, quae plane accedunt ad priorum librorum

carminum genus, ell. 7 et 8 in eo versantur argumento, quod toti poësi Propertianae quasi notam peculiarem esse appositam supra demonstravimus: in Cynthia celebranda. Nam cum el. 8, quantopere Propertius Cynthiae quamvis perfidae atque levis imperio teneatur, iterum confirmetur, ex el. 7, quam in puellae mortuae scripsit honorem, poëtae amorem fuisse eum, qui nullis amatae delictis, nullis injuriis, ne abdicata quidem in perpetuum puella exstingui posse apparet. El. autem 5, qua lenam quandam mortuam detestatur poëta, num ad Cynthiae amorem pertineat dubium esse potest, quoniam nec nomen Cynthiae toto carmine legitur, neque argumentum ipsum ita est comparatum, ut primo obtutu carmen ad Cynthiam esse referendum ostendat.

Atque de Cynthia hic loqui poëtam sibi persuasit Hertzbergius.[1] Primum enim documento esse vv. 55, 56, quos a poëta, ut se ipsum cavillaretur, egregie hoc loco e I, 2 repetitos injuria critici ejecissent; deinde feminam malis artibus tentatam „suam“ ab ipso Propertio amicam dici, cuius nominis honore numquam aliam praeter Cynthiam esset dignatus. Denique hanc lenam penuria consumptam non dominam, sed ministram puellae cultae et divitis et sequestrem tantum turpis quaestus atque Cynthiae uni praepotenti amatori velut praetori illi deditae in domo huius amatoris custodiae caussa fuisse additam.

Haec Hertzbergii argumenta refellere studet Luetjohann (l. l. p. 54) cum dicit, primum vv. 55, 56, qui e margine in textum irrepserint eiciendos esse, deinde quod nisi Cynthia a Propertio nulla „sua“ amica appelletur, nihili esse, cum praeter illam nullam fere commemoret, denique nisi insanum neminem lenam et eam quidem potricem amicae custodem esse additurum. Ipse autem cum persuasum habeat, puellam a domina vel matre in pergula custoditam ostendi hoc carmine, quamvis hanc Cynthiae non esse condicionem e priorum librorum ell. I. 3. III, 29. 32, 3 sqq. 19. appareat, tamen quoniam vv. V, 7, 15 sqq. eandem vitae condicionem ipsa

[1]) in comment: ad h. locum p. 443.

puella adumbret, el. 5 ad Cynthiam necessario quidem non esse referendam, ad posse tamen referri existimat.

Ego quidem ut hanc quoque elegiam ad Cynthiae amores referrem cum aliis rebus, tum iis sum adductus, quae de priorum librorum carminibus supra observavi. Nam cum iis, quae de librorum illorum elegiis, imprimis IV, 12. 13. aliis disputavi, hoc mihi evicisse videar, omnium Propertianorum carminum, quorum argumenta quacunque ratione ad res spectant amatorias, originem repetendam esse a Cynthiae amore, cum ubicunque Propertius in deperditos depravatosque suae aetatis mores invehitur, puellam suam esse causam sit demonstratum, huius carminis, quo lenam contumeliis consectatur ille mortuam, causam eam non esse, persuadere mihi non possum. Sed nonnulli carminis ipsius versus puellam illam, cui lenam praecepta dare poëta fingit, esse Cynthiam aperte docent.

Atque primum quidem Luetjohanni assentiri non possum, qui Propertium puellam illam „suam“ appellare nihili esse existimat. Etenim cum ad Hertzbergii sententiam confirmandam in eo ipso aliquid positum esse mihi videatur, quod nullam omnino aliam puellam nisi Cynthiam carminibus suis coluisse poetam constat, summi certe esse momenti hunc v. 63

„His animum „nostrae“ dum versat Acanthis amicae“

concedes, si comparaveris cum vv. 53—58 (vv. 55 et 56 nulla habita ratione, qui interpolati esse mihi quoque videntur):

„Aurum spectato, non quae manus afferat aurum,
Versibus auditis quid nisi verba feres?
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine aere lyra;“

quibus versibus Propertius, quoniam lenam praecipientem facit, ut puella „carminibus poëtisque“ neglectis aetatis florem ad quaestum conferat, puellam esse „suam“ i. e Cynthiam planis verbis pronuntiat. Talia nimirum praecepta lenam illam non nisi ei puellae, quae re vera carmina donorum loco acceperit, esse daturam liquet. Jam si consideraveris, Propertium primum se nisi versus nulla puellae suae posse praebere dona saepius profiteri velut I, 8b, 39, 40:

„Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio“

vel. II, 8. 11. III, 13, 25, 26. 19, 22. 22, 21—28, aliis locis; deinde hanc puellam, quae talia dona accepit, „suam“ esse dicere, de alia ac Cynthia puella non cogitari posse concedes.

Ad Cynthiam igitur c. 5. necesse esse referendum cum appareat, quomodo ea, quae Cynthiae vitae condicioni contraria esse videntur, probabiliter explicemus, quaerendum est. Atque in hac quoque re explicanda ipsa ratio, qua in Cynthia celebranda versatur Propertius, ansam praebere mihi videtur. Quotiescunque enim de puellae levitate et nequitia queritur, quamquam ejus mores vehementissime perstringere non dubitat, tamen non id agit, ut turpidutini ignominiaequae eam totam objiciat, sed aut velut II, 5, nisi a nequitia recedat se esse relicturum illam atque turpissima quaeque versibus suis pronuntiaturum minatur, aut velut IV, 12 et 13, plane desperans in temporum mores invehitur. Atque huic quam protuli, sententiae, Propertium carminibus suis turpissima vitae convicia in illam conferre semper esse veritum, admodum favet el. V, 8, quam scriptam illam quidem vigente amore — quod tota argumenti ratio postulat — hac ipsa de causa cum ceteris elegiis a poëta non esse editam, veri est simillimum. Hac autem elegia Cynthiam ut meram meretricem esse descriptam quis neget? Denique hanc rationem secutum esse poëtam confirmatur hac, de qua agimus elegia, in qua puellam non nominari, sed significationibus modo indicari docuimus. Jam quamquam de condicione illa, quae intercedebat inter lenam mortuam et Cynthiam, quoniam non nisi c. 5. et vv. 7, 15—20 eam attingit poëta, certum quiddam statui non potest, tamen cum locis illis turpior quaedam vitae condicio, ad quam passim delapsa esse Cynthia videtur, commemoretur, quid, quaeso, inpedit ne rem ita se habere credamus? Neque etiam a Cynthiae moribus, quales prioribus libris cernuntur, plane alienum esse videtur, eam ad talem vitae condicionem passim esse delapsam, quae non tam puellam doctam et nobilem a poëtaque amatam, quam puellam vilem decet. Nonne Propertio relicto praetorem illum quaestus causa eam esse

secutam testatur el. III, 8? Illo autem Roma absente vel exhausto nonne eam ad sustentandam luxuriam, cui ut nobilem deditam esse eam (cf. I, 2. V, 8.) videmus, quoniam Propertius aurum ei praebere non potuit, alium quendam quaesiisse non solum veri simillimum, sed consentaneum est? (cf. II, 9, 19—24. III, 30 ctt.) A vagis vero puellis vilibusque circa compita prostantibus cum Cynthia certe sit eximenda earumque potius mulierum numero sit ascribenda, quas „equestris ordinis“ facetissime appellat Plinius, [1]) nobilitati, ut ita dicam, illi, quam ubique prae se fert, quid magis respondere postet, puam lenae alicujus auxilio viros eam quaestus causa allexisse? Hinc certe querelae illae de auri cupiditate a Propertio prolatae IV, 12, 1 et 2:

„Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes“

et vv 40 et 50; hinc fortasse postea amicorum risus (IV, 25 init.) cum iterum iterumque in tali puella colenda Propertium occupatum viderent.

Hoc igitur ell. V, 5. 7. 8 assmuptis iis, quae similia in prioribus exstant libris nostro jure contendere possumus, puellam ad turpiorem quandam vitae condicionem esse delapsam, quamquam de lena ipsa praeter ea, quae modo indicavi, fuisse eam adjutricem ad capessendos viros, nihil certi affirmari potest.

Quae si recte a me sunt posita apparet, interesse aliquid inter huius et priorum librorum elegias amatorias, quarum argumentum est Cynthia. Ell. enim 5 et 8 a priorum librorum elegiis illis valde recedunt eo, quod et perditam atque ad sordes plane redactam (5.) et impudentem atque protervam (8) ostendunt pullam; el. autem 7, quae simili macula non prorsus est libera (vv. 15—20), ab illis eo potissimum segregatur, quod poëtae animus, quem utpote juvenilem in illis aut gaudio exsultantem aut dolore desperantem videmus, in hac, qua puellae mortuae laus celebratur, furore illo atque aestu amatorio solutus, affectuum gravitate sedatus potius et virilis videtur.

---

[1]) nat. hist. XXXII, 12.

Hinc progrediamur ad ell. V, 3 et 11, quae quamquam non ex poëtae ipsius amore sunt effusae, tamen argumenta exhibent, quorum similia quodammodo in priorbus exstant libris. El. enim 3 Propertius fictis nominibus epistolam ad Lycotam adversus Parthos stipendia merentem intercedente fortasse Arethusae uxore vel tristissima ipse illius condicione commotus misit, ut illi uxoris et memoriae et amoris et desiderii esset documentum. El. autem 11 L. Aemilium Paulum, virum Augusto probatissimum, de morte Corneliae uxoris consolatur. Atque el. 3 simillimum est c. IV, 11, quo Postumus amicus, qui itidem uxore relicta adversus hostes stipendia merebat, Gallae uxoris amore et fide laudatis, ut redeat admonetur a poëta. In eodem autem, quo el. 11, argumento versantur el. IV, 6, qua Paeti amici mortem deplorat Propertius et el IV, 17, qua M. Claidii, Augusti ex Octavia sorore nepotis praematuram mortem deflet. Atque si hauc elegiam (17), ut Caesaris animum sibi conciliaret, a poëta esse compositam diximus, nescio an idem de el V, 11 suspicari possimus quam si non Augusti ipsius, quem tamen respexisse Propertium veri simillimum mihi esse videtur, at certe Aemilii Paulli gratia, viri summae apud Augustum auctoritatis scriptam esse apparet. Haec vero ipsa libri IV carmina, quoniam eo, quod tractant argumenta nullo interiore vinculo cum poëtae ipsius amoribus consociata, quodammodo esse aliena ab elegiis vere Propertianis, quas diximus, demonstravimus, id ipsum in ell. V, 3 et 11 cadere liquet.

Restant ell. V, 1. 2. 4. 6. 9. 10, quas si argumenta spectamus, carminum exhibere genus cum ab huius tum a priorum librorum elegiis plane diversum jam supra indicavimus. In tractandis vero his libri V carminibus ita versabor, ut deinceps disputem de ell. 1,1 — 70, 2. 4. 9. 10 denique de 6. alterius el. 1 partis (vv. 71 — 150) nulla habita ratione, de qua quid judicem alio eoque commodiore loco exponam.

Atque in c. V, 1 poëta, postquam vv. 1 — 56 Romam a parvis initiis modestaque simplicitate ad ingentem magnitudinem summamque magnificentiam suis ipsius viribus pervenisse exposuit, cum eo ipso, quod sola sua virtute praesentem

potestatem majestatemque sibi paraverit, quae carminibus celebretur digna esse videatur, inde a v. 56 usque ad. v. 70, quamvis tanto operi vires suas esse impares sentiat, tamen (vv. 56—60 et vv. 67, 68) Romanas res carminibus suis se esse celebraturum dicit. Neque vero gravioribus carminis heroici vel epici modis, qui soli sint accommodati argumento tam gravi tamque magnifico, sed tenuioribus elegiae modis (v. 61) Callimachi exemplum secutum (vv. 62—64) sacra et dies et cognomina prisca locorum se esse cantaturum (v. 69). Jam videamus, num carmina quae sequuntur, huic quod modo exposuit poëta, consilio respondeant.

Atque illud quidem haec carmina in rebus, quae spectant ad urbem Romam celebrandis versari, primo obtutu apparet neque est, cur in unaquaque moneamus. Quod autem poëta se sacra et dies et cognomina prisca locorum ad Callimachi exemplum se esse cautaturum dicit, nisi „*ἀἰτια*“ ejus imitans, quorum quatuor laudantur libri [1]) hoc facere non potuit. In *αἰτίοις* vero cum id egisse illium constet, ut sacra et nomina et res antiquas, quae ad id tempus exstabant, interpretaretur originemque rerum illarum ad historiam fabularem referret, nostrum idem his, de quibus agimus elegiis agere necesse est.

Atque in c. V, 2 quae sit Vertumni, antiqui Tuscorum dei, nonimis causa exponit Propertius et ita quidem, ut Vertumnus ipse, quem de se dicentem fingit poëta, primum (vv. 1–20) quae falsae de origine nominis sui opiniones ferantur refutet, deinde (vv. 21—48), quae vera sit nominis causa demonstret, denique addita vici Tusci, in quo collocatum erat Vertumni signum, origine (vv. 49–56) Mamuri signi aënëi caelatoris laude carmen concludat. Huius igitur carminis argumentum, cum et Vertumni dei nominis causa et vici Tusci origo exponatur, si respicimus illud, quod c. 1 praefatus est poëta, et ad cognomina prisca locorum et ad sacra pertinet, quoniam Vertumni dei nominis interpretatione, qui sit dei cultus explicatur.

---

[1]) Dilthey, de Callimachi Cydippa, Lpz. 1863 pp. 103 sqq.

El, quae sequitur 4 cognominum explanandorum causa esse conditum et vv. 1 et 2:

„Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
Fabor et antiqui limina capta Jovis"

et vv. 93 et 94:

„A duce Tarpeia mons est cognomen adeptus:
O vigil, iniuste praemia sortis habes;"

quorum illi prooemium hi perorationem carminis efficiunt, facile perspicitur. Atque hoc carmine id agere mihi videtur poëta, ut ea tractet loca, quae Tarpeiorum cognomine feruntur: Tarpeium nemus, Tarpeiae sepulcrum montemque Capitolinum vel Tarpeium, quoniam „antiqui limina Jovis" mons Capitolinus est intellegendus, quem quamquam templum Jovis O. M. nondum erat conditum, domicilium summi dei semper esse habitum recte affert Hertzberguis[1]). At cum vv. 3—92 expositum sit, et cognominis eorum, quae v. 1 commemorata sunt, locorum et montis capti fuisse causam Tarpeiam, virginem illam Vestalem, disticho extremo, si traditam codicum scripturam sequimur: „A duce Tarpeio" cett, montem Capitolinum a Tarpeio, huius virginis patre accepisse cognomen, mirum est. Primum enim cognomen montis hoc modo explicari ab ipsa horum carminum ratione est alienum. Omnia enim huiusmodi carmina, quae exstant apud Propertium ita sunt comparata, ut postquam primis plerumque versibus, cuius vel cognominis vel sacri cett: causam interpretaturus esset, attulit poëta, medium carmen vel summa carminis ea contineatur enarratione vel fabula, qua nominis illius vel sacri cett. origo explicetur. Quo facto extremis carminis versibus „hinc" illius rei, ad quam tota spectat fabula, causam esse repetendam perorationis in modum additur. Itaque cum medium carmen vel narratio, quae totius carminis argumentum efficit, ut cum prooemio atque peroratione consentiat carminis ipsius ferat natura, in nostra elegia montis cognomen ad proditionem illam Tarpeiae, qua carminis argumentum continetur, referri necesse est. Deinde Propertium ab ea, quam ratio ipsa postulat, explicatione esse

[1]) in commentar. p. 433.

digressum, veri plane erit dissimile, si consideraverimus, fabulam illam, quae ad Tarpeiae proditionem referendum esse montis cognomen docet, esse vulgatam et ab omnibus fere scriptoribus traditam. Illud vero ne Propertium obscuras potius fabulas esse secutum aut neglegenter diversa permiscuisse, quam ea dixisse credamus, quae res postularet, admodum esse cavendum Hauptius (opuscl. II.) rectissime monet.

Atque his potissimum de causis cum Hertzbergio non sit assentiendum, qui a Tarpeio, patre, Propertium cognominis originem repertere voluisse dicit, ne cum Lachmanno quidem aliisque spurios esse hos versus et a librario quodam additos contenderim, quia hac clausula carmen carere mullo modo potest. Etenim cum et nemori et sepulcro cognomen illud esse statim v. 1 indicetur atque origo eius fabula, quae sequitur, explicetur, supervacaneum est, hinc traxisse illa nomen repetere; sed montem hinc traxisse cognomen addere necessarium est, quia huius montis cognomen „Tarpeium", quoniam supra nondum est indicatum, sed eadem, qua nemus et sepulcrum fabula est explicandum, nisi „hinc traxisse nomen" additur, omnino non explicatur. Qua propter cum appareat, distichum extremum ita esse emendandum, ut montis quoque cognominis origo ad Tarpeiae proditionem referatur, a vv. dd. facillima mutatione pro Tarpeio „Tarpeia" jure esse repositum liquet. El. igitur 4 si summam spectamus, unde locorum cognomina orta sint exponitur.

Atque ut in hoc, quod modo tractavimus carmine, ita etiam in 9 complurium rerum causas amplectitur poëta. Primum enim vv. 1—20 fori Boarii originem, deinde vv. 21—27 arae maximae originem cultumque, denique vv. 71—74 Sancti, Herculis cognominis causam explicat. Huius igitur carminis argumentum ad sacrorum et cognominum interpretationem spectat.

Eodem porro consilio composita el. 10, quippe qua cur Juppiter „Feretrius" sit appellatus, exponatur. Postquam enim spolia illa opima, quae Romulus et Cossus et Claudius reportaverant, in Jovis templum sint condita, Jovem „Feretrium" esse appellatum, quia duces Romani, votis susceptis, hostium

duces feriant, vel quia arma illa de hostium ducibus reportata humeris ad Jovis aram tulerint illi, poëta refert.

Restat el. 6, cujus argumentum est hoc: vv. 1—10 poëta cum quam grande, quam divinum sit tractaturus argumentum persuasum habeat, summa religione atque cerimonia carmen exordiens ut tali argumento digna proferat optat et ut consecrationibus removeantur omnis fraus omnisque fallacia postulat. Apollinis enim Palatini aedem quoniam sit relaturus, in Caesaris nomen ductum iri carmen (vv. 11—14). Jam vv. 15—66 postquam Augustum praesenti Apollinis dei auxilio ad Actium hostes fugasse et excidisse enarravit atque hinc Phoebum traxisse monumenta vv. 67 et 68 pronuntiavit, versibus, qui restant ad convivia adhortatur comparanda, in quibus, dum pro sua quisque ingenii indole res ab Augusto gestas celebret, se esse permansurum, donec injiciat radios in sua vina dies dicit.

Quae elegia num ipsa quoque referenda sit ad eas, quas c. V, 1 indicavit noster vv. dd. dissentiunt. Postquam enim Lachmann (in adn. ad h. locum), hoc quoque carmen Propertium Dierum vel Fastorum operi inserere voluisse ut suspicaretur v. 67 imprimis, ultimo carminis 10 simillimo se esse adductum dixit, Hertzberg (comment. p. 459) hanc Lachmanni conjecturam sagacem esse illam quidem, neque tamen quidquam impedire existimat, quin pro integro carmine habeatur elegia. Quo autem consilio scriptam esse eam sibi persuaserit apparet ex Quaestt. l. I. p. 28, ubi Barthio ad celebrandos quinquennales Apollinis ludos, in memoriam victoriae Actiacae anno a. U. c. 738 institutos [1]) illam esse compositam censenti assentitur. Cui sententiae cum parum conveniat poëtam v. 77 Sycambros jam subjectos memorare, quos Barthius (praef. LXXXVI) a. 739 obsidibus datis pacem accepisse dicit, hanc difficultatem Barth ita solvit, ut Propertium tamquam vatem de re certo sperata et proxime futura canere potuisse existimet, Hertzb. vero ita, ut (Q. l. II, p. 228) ipso Dione Cassio auctore (LIV, 20. 21) jam

[1]) cf. Dio: Cass. LIII, 1. coll. LIV, 19.

sub finem a. 738 Sycambros obsidibus datis pacem petiisse constare doceat. Atque illo vaticinationis artificio, quo usus est Barthius ad difficultatem removendam nihil effici per se patet, sed ne Hertzbergii ratione tollitur illa, quoniam ex Dionis illo loco (LIV, 19) accuratius excusso primum ludos illos quinquennales, quamquam ipso a. 738 fine Sycambri sunt subjecti, tamen paulo antea esse habitos sequi, deinde carmen si omnino ad ludos vel celebrandos vel indicendos compositum sit, certe non paulo ante ipsos non posse confectum esse Luetjohann demonstrat (l. l. p. 86). Gravissimum vero ad Barthii et Hertzbergii sententiam rejiciendam argumentum esse mihi videtur illud, quod ludorum toto carmine mentio fit nulla, nisi forte vv. 69 sqq., quibus ad convivia vocat poëta, celebrationem ludorum indicari suspicemur, quos tamen alio consilio esse conscriptos mox apparebit. Quare cum probabile nullo modo fiat, ad celebrandos vel indicendos ludos quinquennales a. 738 institutos compositum esse carmen, cum v. 77 Sycambrorum ejusdem anni fine subjectorum fiat mentio, non nisi post Sycambrorum deditionem i. e. ineunte fere a. 739 conditum esse carmen videtur et compositum esse eo consilio, quod Lachmann l. l. indicavit.

Quod priusquam uberius exponam de Luetjohannis dicam sententia, qui (l. l. pp. 29 sqq.) carmen nostrum in duo divisit carmina, quorum unum efficiunt vv. 1—10 et vv. 69—86, alterum versus, qui sunt interpositi 11—68. Atque illius carminis argumentum in eo esse positum arbitratur Luetjoh., ut poëta epicum de rebus a Caesare gestis opus inchoatum, quod se esse conditurum promiserat III, 1, nondum absolutum abjiciat. Cui quid sit respondendum ex iis, quae de c. III, 1 supra dixi, patet. Illud enim ipsum, quod el. III, 1, quam eo tempore conditam esse, quo in perpetuum abdicavit Cynthiam poëta i. e. post omnes priorum librorum elegias demonstravimus, inserta est a poëta quatuor illis libris, quos ipsum edidisse satis constat [1]), documento est, consilium hoc, quod cepit

[1]) cf. Lachm. ed. pr. praef. pp. XXIII sqq.; Eschenb. lib. misc. B. pp. 83 sqq.

dimissa Cynthia, statim eum abjecisse. Accedit, quod primum talis operis neque usquam fit mentio neque ullum exstat vestigium, deinde quod ubicunque in prioribus libris Augusti laudem Propertium amplificare videmus, illud excepto c. III, 1, ita fieri observamus, ut data occasione carmen ad Augustum celebrandum deflectatur neque vero umquam ipsius carminis argumentum in eo sit positum. Quibus cum rejecta jam videatur Luetjohannis sententia, explosa certe erit, si integri carminis consilium recte perspexisse Lachmannum, qui totum carmen ad earum elegiarum numerum, quas c. V, 1 indicavit poëta esse referendum suspicatus est, neque Luetjohanni fidem esse habendam demonstravero, qui alterius tantum carminis, quod effecit ex vv. 11—68 argumentum eo pertinere contendit.

Carmen enim nostrum ut ad ceteras, quibus urbis Romae locorum, sacrorum, templorum origines et causas interpretatur poëta referamus, argumenti ratione adducimur, quippe quae ejusmodi carminum naturae atque indoli plane respondeat. Ell. enim 2. 4. 9. 10 huiusmodi carmina ita esse comparata docent, ut et prooemium habeant, quo quid explicaturus sit poëta pronuntiat, et narrationem vel fabulam medio carmine positam, qua id ipsum interpretatur, denique perorationem, qua solutum illud et explicatum esse hac narratione poëta indicat. Ex iisdem vero elegiis illud apparet, huic carminum generi, quorum formam et in prooemiis et in perorationibus variari posse ell. 2. 9 demonstrant, tamquam notam propriam et peculiarem esse appositam illam narrationem vel fabulam, quae medium carmen vel potius summam argumenti efficiens causas ipsas, e quibus aliquid aut originem aut nomen duxerit continet. Atque huic rationi plane respondet nostrum carmen. Primum enim summa argumenti in eo est posita, ut pugnae Actiacae descriptione (vv. 11—67) cur aedes Palatina Apollini sit dedicata exponatur, deinde v. 11 hoc ipsum explicare sibi se proposuisse et vv. 67 et 68 narratione interposita exposuisse disertis verbis testatur poëta.

Jam vero quibus de causis tanto, ut ita dicam molim- exordiatur carmen et perorationem ad res a proposito v- detur, absonas deducat Propertius, facile est intellectu-

quoniam summa argumenti, qua templi originem explicaturus est ille, cum ad Apollinem deum, in pugna Actiaca praesenti auxilio populo Romano faventem, tum ad Augustum ipsum spectat, quem numinibus deorum parem vel adeo superiorem omnes illius aetatis Romanos coluisse notum est, tam grandi prooemio usum esse poëtam et in Augusti laudes deflexisse carmen mirum esse non potest. Atque hac ipsa de causa Propertium gravius se atque sublimius tractare argumentum habuisse persuasum docent vv. 11—14:

„Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Juppiter ipse vaces."

collati cum antecedentibus vv. 1—10.

Neque etiam in singulis huius prooemii verbis cum Luetjohanne haerendum esse videtur. Nam ille si monet, cum de Apollinis Palatini vel templo vel ludis grande carmen editurus sit poëta, quid „Philetaeos corymbos" et „Cyrenaeas aquas" crepat, res ab argumenti gravitate absonas, ab eo tantum usurpandas, qui carmina amatoria sit compositurus, non intellexisse videtur, poëtam his verbis significare, se illorum secutum exemplum tenuioribus elegiae modis res graviores esse tractaturum, cui rei admodum respondent vv. 7 et 8, quibus ut IV, 1, 3 et 8 se primum Graecorum modos Romam transtulisse gloriatur.

Neque magis, ut ad perorationem transeamus, carmen Augusti laudibus concludi, mirum esse potest, quia varia argumenta in Caesaris, dei in terra praesentis laudem deflecti usitatissimum fuisse et ceterorum illius aevi poëtarum carmina docent et nostri IV, 3. 10. alia. Quod cum fieri videamus iis in carminibus, quibus tangitur modo, ut ita dicam, Augusti nomen, hoc nostro carmine, quo de Apollinis Palatini aedis agitur origine, cujus si verum quaerimus, auctor est Augustus, fieri necesse erat. Deinde el. V, 2 exitus simillimus aptissime nostro in carmine perorationem in Augusti laudem deflecti documento esse potest. Ut enim haec elegia, quae in Vertumni dei nominis origine explicanda versatur, in Mamuri,

signi aënëi artificis, ita nostra Augusti laudibus, templi illius auctoris aptissime concluditur. Atque hoc ita instituit poëta, ut postquam ipse aedis Palatinae originem carmine suo explicavit atque in illa explicanda Augustum non parvis extulit laudibus ad convivium comparandum invitat, in quo pro sua quisque ingenii indole atque viribus res ab Augusto gestas celebret.

Illud vero, quod affert Luetjohann, ut demonstret, vv. 69 sqq. paroxime antecedentes respicere omnino non posse: „bella cecinisse non posse videri eum, qui Apollinis Palatini aedem se esse relaturum promittat, quique in ipso carmine pugnae mentionem in transcursu tantum injiciat, Apollinis autem Actiaci orationem et auxilium copiosissime explicet," illud ad irritum cadere concedemus, si consideraverimus poëtam, quoniam aedis illius origo ad praesens Apollinis in pugna auxilium erat referenda, in describenda pugna ipsa ita versari necesse esse, ut Apolline adjuvante imprimis vel unice hostes esse devictos demonstret. Denique verba ipsa: „citharam jam poscit Apollo „victor"" comparata cum vv. 67 et 68:

„Actius hinc traxit Phoebus monimenta, quod eius
Una decem vicit missa sagitta rates"

docent, vv. 69 sqq. narrationem respicere antecedentem.

Omnibus igitur, quae de el. 6 attulimus certo evincitur, referendam esse eam ad earum elegiarum numerum, quibus singulorum nominum et institutorum causas se explicaturum esse c. V, 1 poëta dicit, neque aliud agere illum in el. 6, nisi ut cur Apollini Palatino templum sit dedicatum exponat. Denique hoc quoque addam, Propertium ludis illis quinquennalibus anni 738 fine habitis ad el. 6 pangendam esse adductum; quod, quandoquidem templo illo Apollini a. 726 dedicato populi jussu ludi illi sunt instituti [1], cum per se veri sit simillimum, inde facile intilligi potest, quod cetera ejusmodi carmina talia nomina vel sacra tractant, quae ad tempora prisca spectant, hoc uno de recentioris vel poëtae ipsius aetatis rebus agitur. Et opus erat ejusmodi occasione, quoniam recentioris aetatis facta, quippe quae omnibus essent nota, non tam erant

[1]) cf. Dio. Cass. LIII, 1.

idonea, quae carminibus tractarentur iis, quibus rerum causae explicabantur fabulis adhibitis, quam illa, quae vetustate paene erant obliterata.

Jam vero ex his, quae de ell. V, 2. 4. 6. 9. 10. disputavimus, patet Propertium illud quidem, quod summatim pronuntiavit: „quodumque e pectore rivi fluxerit, hoc patriae serviet omne meae" esse persecutum, sed pronuntiationem illam propriam: „sacra diesque canam et cognomina prisca locorum," qua illud efficere sibi proposuerat, ita tantum solvisse, ut sacrorum tantum et cognominum causas interpretaretur. Dierum enim causarum in his, quae exstant huius generis elegiis, nullum inveniri vestigium docent ea, quae de argumentis uniuscujusque elegiae breviter comprehendimus. Ex his autem opus, quod condere Propertius sibi proposuerat, absolutum non esse, atque quod totius huius operis consilium fuerit, certo concludere possumus. Quo in consilio definiendo nec Lachmann [1]) verum perspexisse mihi videtur, qui fastos, neque Hertzberg [2]) aut Krahnerus [3]), qui origines potestatis Romanae, neque etiam Luetjohann, qui l. l. p. 47 periegesin urbis Romae Propertium esse scripturum voluit. Etenim illud, quod placuit Lachmanno, Hertzbergio, Krahnero sibi non proposuisse nostrum et c. 1, prooemii loco positum et reliquorum carminum argumenta satis dilucide demonstrant, quibus non tam a singulorum dierum interpretatione exordiens sacra locorumque cognomina tractat — quod tamen sibi poscunt fasti — quam sacrorum cognominumque causas atque origines — quas, si absolvisset opus, dierum certe originum interpretatio esset secuta — fabularum enarratione simpliciter explicat. Origines vero potestatis Romanae quomodo tractare putemus illum, qui in carminibus, quae exstant, eo, quem exposuimus modo sacra et cognomina interpretatur quique dies eodem modo se esse explanaturum V, 1, 69 profitetur? Neque etiam cum Luetjohanne urbis Romae periegesin statuere ullo modo cogimur allocutione illa,

---

[1]) ed. pr. adn. ad V, 1, 1.

[2]) Quaestt. pp. 82, 193, 266.

[3]) Philol. XXVII, pp. 92 sq.

qua utitur poëta in el. V, 1 ad hospitem se convertens. Hanc enim, quoniam non nisi in el. V, 1 exstat eo, quem vult Luetjh. modo, vividius vel enarrandi vel exponendi genus esse intelligendam el. V, 2 docet, in qua alia atque in c. 1 utitur allocutionis ratione poëta, quia Vertumnum ipsum loquentem inducit.

Ex carminum ipsorum argumentis dilucide apparet Propertium, quem jam prioribus in libris totum esse videmus in Alexandrinis imprimis Callimacho et Phileta imitandis [1]), Callimachi exemplum secutum (V, 1, 63. 6, 4.) et sacrorum et cognominum et dierum causas (αἴτια, Ursprünge) ad domesticas fabulas, quaecunque traditae erant in urbe Roma ejusque regionibus referendo fuisse interpretatuıum. Atque „αἴτια," ut ita dicam, „Romana" Callimachi exemplum secutum Propertium his tractasse carminibus, cum vv. V, 1, 61—64 confirmatur, tum vv. V, 10, 1 atque 9, 71 comprobatur. In el. enim 10 v. 1 „causas" Jovis Feretri se esse aperturum dicit atque in el. 9 v. 71 in explicanda Herculis cognominis „Sancti" causa utitur verbis: „Sancte pater „salve,"" quibus verbis Callimachum eum esse imitatum manu prehendere possis, qui in frag. 120. Herculem alloquitur „χαῖρε" [2]). Quae cum ita sint, dubium non esse videtur, quin his in elegiis „causas" sibi tractandas proposuerit Propertius.

Consilio igitur, a quo omnium horum, de quibus agimus carminum origo est repetenda, definito supervacaneum paene esse videtur, his elegiis carminum genus ab eo, quod priorum librorum elegiis cernitur, plane diversum contineri accuratius exponere. Sed paucis attingere liceat.

Atque duae prae ceteris res esse videntur, quibus discrimen proprium, quod inter has reliquasque Propertii elegias intercedit cernitur, quarum altera posita est in ipso fonte, e quo effusae sunt hae elegiae, altera in ratione, qua argumenta epica in iisdem tractantur. Nam cum omnes priorum librorum elegiae perpaucis libri I et IV exceptis, nonnullaeque libri V ex poëtae erga Cynthiam amore sint enatae, ita ut talia tan-

[1]) cf. IV, 1, 1–6. 9, 43. 44. III, 32, 31. 32.
[2]) cf. Dilthey: de Callimachi Cyd. p. 106.

tum carmina vere Propertiana appellari posse existimemus, quibus haec nota sit impressa, ell. V, 1. 2. 4. 6. 9. 10. hoc insigni non solum carent, sed profectae sunt illae e consilio „causarum Romanarum“ tractandarum. Ex hoc autem ipso consilio sequitur, versari eas in argumentis epicis, qua re alterum perspici discrimen dixi. Illud enim neminem fugere potest, in omnibus fere priorum librorum elegiis tractari res vel fabulas ex heroicis temporibus desumptas et ita quidem ut interdum totum fere carmen efficiant. Sed omnibus his in eligiis cum hae fabulae, quae minore plerumque circuitu suum orbem conficiunt, carminis ipsius argumento ita sint insertae, ut experientiae alicui ex poëtae ipsius plerumque vel alius cujusdam vita profectae sint documento, neque in iis ipsis carminis argumentum sit positum, in his libri V elegiis illa argumenta epica, quippe quibus carminis argumentum contineatur, sua ipsorum causa tractantur.

Jam vero omnibus iis, quae de libri V carminum argumentis disputavimus demonstratur, in esse in hoc libro duo elegiarum genera, quarum unum efficiunt ell. 3. 5. 7. 8. 11, alterum ell. 1. 2. 4. 6. 9. 10. Atque illius generis ell. 5. 7. 8 nisi ad obrussam illas exigimus, a carminibus illis vere Propertianis, quas diximus, non recedunt, ell. autem 3 et 11, quoniam tractant argumenta extra poëtae amores posita, a vere Propertianis elegiis sunt alienae illae quidem, at poësi Propertiana utpote amatoria plane dignae. Alterius denique generis elegias, cum non solum ab elegiis illis vere Propertianis, sed ab ipsa poësi Propertiana recedant, ab iis, quibus quatuor priores continentur libri elegiis plane diversum exhibere genus patet.

b. De versuum arte.

Argumentis admodum inter se differre singulos elegiarum libros postquam statuimus, ad perlustrandam carminum formam transeamus, ut num hac quoque carminum quaedam inter se discrepantia cerni possit videamus. Jam cum duo formae genera sint discernenda, unum, quod ad artem metricam, alterum, quod pertinet ad verborum et sententiarum con-

formationem, ab illo formae genere, quod arte metrica cernitur, initium capiam. Sed de Propertii versuum arte quonian post Luc. Muellerum [1]) diligentissime quaesiverunt Eschenburgius [2]) et Luetjohann (l. l. pp. 96—104), cum hi vv. dd. universe ad eundem pervenerint finem, ita ut dubium jam non esse possit, quin verum sit perspectum, quid ab illis sit demonstratum breviter comprehendere satis habebo.

Atque summa observationum est haec: Propertius cum in prioribus libris durioribus paulo utatur numeris, in posterioribus eos gradatim mitigat idque diligentissime ågit, ut carmina quam elegantissima et a metricis salebris quam maxime vindicata condat. Jam Luetjoh., qui l. l quales inter spondeorum et dactylorum in singulis libris usum intercedant rationes exemplis illustrat, inelegantiora, quae prioribus in libris passim inveniantur, in extremo poëtam fugisse inde apparere docet, quod in hoc spondeorum duritiem quam maxime evitaverit. Eschenb. autem, qui l. l. ell. 1. 2. 4. 9. 10 cum priorum librorum carminibus comparat, postquam primum diversis caesurae generibus, deinde hexametri exitus ratione demonstravit has illis esse multo limatiores, de pentametri agit exitu, quo diversa diversis in libris ratio metrica maxima fit perspicua. In pentametri enim exitu liber I summam praebet licentiam, quoniam quatuor syllabarum exitus quinquies et nonagies, trium bis et tricies usurpatus est. „Longe aliter res se habet in libris II et III, qui conjuncti quatuor syllabarum exitum tantum septies et quinquagies, trium quinquies decies exhibent. Multo etiam minus Propertium huic licentiae indulsisse videmus in l. IV, cujus pentametri duodecies in quatuor, semel in trium syllabarum verbum exeunt. Simili vel maiore etiam diligentia libri V pentametri conscripti sunt, in quibus polysyllabus exitus tantum sexies locum habet, et ita quidem, ut quatuor exempla inveniantur in ell. 1. 2. 4. 9. 10.“ His expositis Eschenb. postquam de

---

[1]) de re metr. p. 289.

[2]) in libr. misc. Bonn. pp. 83 sqq. et in observat. critt. in Prop. Bonn. 1865.

elisione, synizesi, hiatu cett. idem statuit „Propertium quamvis in prioribus libris nullum fere metricae licentiae genus sit, cui non indulserit, in posteriorum librorum carminibus imprimis V, 1. 2. cett. haec paene omnia summa diligentia evitasse,“ suo jure contendit. Neque abhorrere ab ell. V, 1. 2. 4. 9. 10 elegantia metrica reliquas huius libri elegias idem demonstrat l. l. pp. 88 sq. Nam ell. 3. 5. 7. 8 cum prioribus libris hoc habere commune, quod quamvis non pauca, at tamen non eadem omnia licentiae metricae exempla, quae in illis inveniantur praebeant. Carmina autem 6 et 11 cum nullam earum licentiarum ostendere, quae exstent et in quatuor his libri V elegiis modo commemoratis et in libris prioribus, tum prorsus consentire in elegantiis metricis cum libri extremi ell. 1. 2. 4. 9. 10.

III. Causae, a quibus repetendae sunt singulorum librorum inter se discrimina.

Abservationibus modo allatis, quoniam demonstratum est, cum posteriorum librorum carmina tum ell. 1. 2. 4. 6. 9. 10. quod attinet ad formam metricam prae ceteris elegiis esse elaboratas et perpolitas, mirum sane esse videtur, iisdem his carminibus ab altero formae genere, quod verborum sententiarumque conformatione cernitur, ut minus politis et incultis duriora quaedam inesse a Lachmanno, Hertzbergio, aliis contendi. Jam si locos illos satis multos, quibus adnotavit illud Lachmann (V, I, 1. 2, 12. 4, 3. 55. 8, 10. 9, 35) et illum IV, 10, 12 (V, 10, 12), quo idem fecit Hertzberg, collatis illis, quae Lach. in praef. p. XXVIII et Hertzb. Q. 1. III. p. 216 protulerunt perlustraveris, invenies vv. dd. huius rei causam in eo esse positam censere, quod poëta haec carmina, a quibus primis juventutis temporibus inchoatis amore Cynthiae exardescente sit avocatus, imperfecta atque ultima manu carentia reliquerit, cujus sententiae principium atque fundamentum est altera el. 1. pars (V, 1, 71—150). Versuum enim V, 1, 71—150 argumentum est hoc: Postquam poëta extremis partis prioris versibus: sacra et dies et cognomina prisca locorum se esse tractaturum promisit, subito inde a

v. 71 vates quidam, Babylonius Horos, Archytae suboles, ut deterreat Propertium a proposito modo pronuntiato multa dicit cum de suis vaticinationibus (vv. 75—118) tum de vita Propertii (vv. 119 - 150). A patria enim eius exordiens primum (vv. 127—130), quae puero acciderint enarrat, deinde cui vitae rationi toga virili sumpta eum a dis esse destinatum (vv. 130—134) affert. Hanc autem vitae condicionem positam illam in colenda poësi amatoria, ut sequatur (vv. 135 sqq.), quia unam puellam summo, sed infelici amore sit amplexurus (vv. 139—150) vates admonet.

Ex his versibus colligere nos necesse esse vv. illi dd. existimant, prima juventute i. e. priusquam Cynthiam adamasset ell. illas 2. 4. 6. 9. 10 a Propertio esse conditas.[1]) Ex oppositione enim, quae est inter v. 135: „at tu finge elegos“ et ea, quae praecedunt: „tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo“, apparere verbis: „tum tibi pauca cett.“ tantum epica illa carmina V, 2. 4. cett. significare poëtam, quorum compositionem in primam Propertii cadere aetatem affirmetur vv. 131 et 132: „Mox ubi bulla rudi cett.“ Idem praeterea concludendum esse ex eo, quod horoscopus Propertio militiam Veneris patiendam esse — nam victrices palmas unam puellam ei esse erepturam (v. 139) — praesagiat et ex futuris „patiere“ (v. 137) et „eris“ (v. 138) et „eludet“ (v. 140) etc.

Atque alteram hanc, de qua agimus partem Lachm. l. l. ita explicat, ut Propertium, quem quondam fastos condere voluisse ex ell. 2. 4. cett. appareat, cum non aptam capiti duram coronam cognovisset, illos non perfecisse dicat; postea autem eum aliquando inspexisse tabellas risusque causa imperfecti operis prooemio subscripsisse vv. 71—150: in his igitur sub horoscopi nomine se ipsum increpuisse poëtam, quod conatus esset quondam carmen epicum pangere. Hertzb. autem l. l. Propertium ab ell. 2. 4 cett. prima juventute conditis Cynthiae amore postquam esset avocatus, ut se ipsum irrideret totum carmen, quod exhibent vv. 1—150 prooemii loco praefixisse illis existimat. In sententiam modo comme-

---

1) cf. Eschenb. lib. misc. p. 98.

moratae plane contrariam discesserunt Eschenburg et Luetjohann, qui et artis metricae praestantia illa et causis ex priorum librorum elegiis desumptis ell. 1. 2. 4. cett. post omnes priorum librorum elegias esse conditas, summa probabilitate evicisse sibi videntur. Quibus constitutis el. 1 partem alteram Eschenb. spuriam esse contendit, Luetjoh. autem ab amico quodem ad Propertium esse scriptam suspicatur.

Jam tota hac quaestione de discrimine, quod intercedit inter singulos Propertii elegiarum libros instituta cum ita versari mihi proposuerim, ut uniuscujusque discriminis causam investigem, cum dijudicata hac, quam modo indicavi, sententiarum discrepantia omnium discriminum adhuc allatorum causae apparere mihi videantur, qua aetate conditae sint ell. V, 1. 2. 4. 6. 9. 10 accuratius inquirendum esse puto, cum praesertim ad hanc quaestionem disceptandam non pauca ex iis, quae de quatuor priorum librorum elegiis disputavi redundent.

Atque Eschenbergium suo jure e rationibus metricis se evicisse existimare ell. V, 1. 2. cett. abdicata in perpetuum Cynthia esse conditas a Propertio neque fidem esse habendam Luetjohanni, qui l. l. p. 85 his observationibus exiguum inesse pondus dicit, ratione qua haec metrorum elegantia in pentametri exitus conformatione maxime perspicua in singulis elegiarum libris exsistit, facile intelligitur. Quae ratio cum ea sit, ut pentametrorum in vocabulum polysyllabum exeuntium in l. I longe plurimi inveniantur, in II et III numerus eorum multo minor fiat, in IV et V rarissima occurrant exempla, et illud elucet Propertium, quo diutius versibus faciendis operam dedit, Ovidium imitando eo elegantiora et limatiora carmina condidisse, et quo saepius Propertii liber illam inelegantiam exhibet, eo temporum ratione esse superiorem. Nimirum omnes omnino Romanorum poëtae elegiaci, quo quisque erat natu minor eo alter altero studiosius has polysyllaborum vocabulorum clausulas, quibus Alexandrinorum vestigia eos pressisse notum est, evitaverunt. Itaque Catullum totum se ad Graecorum exemplum hoc in genere accommodavisse, Propertium autem atque Tibullum coepisse se ad popu-

larium suorum judicium magis componere, Ovidium denique nullum unquam pentametrum tali finivisse vocabulo. Propertium igitur, quippe qui poëtarum Alexandrinorum carmina non modo probasse, sed admirantem se esse imitatum toties profiteatur, in primis, quae condidit carminibus eorum potissimum esse secutum rationem, in posterioribus autem ad eam versuum formam, quae aliorum illius aetatis poëtarum auctoritate et elegantior putabatur et patriae linguae magis erat accommodata, sensim se composuisse atque in extremis illam unice usurpasse, quid magis consentaneum esse potest? Jam vides quid judicandum sit de Hertzbergii sententia, qui (Q. l. III p. 216) ut refutet, Nobbium idem atque Eschenb. demonstrantem, longiores illos exitus perquam esse accommodatos moesto generi et flebili, narrationibus autem et sadatis expositionibus esse alienissimos recte jam observasse Paldamum [1]) dicit.

Sed alias quoque exstare causas, e quibus ell. V, 1. 2. cett. post priorum librorum carmina esse scriptas appareat, Eschenb. docet l l. pp. 89—96. Atque primum quidem, postquam v. V, 1, 3, quo Apollinis Palatini aedes, quam a. 726 esse dedicatam Dio Cassius (LIII,1) tradit, commemoratur, illud exordium (I, 1, 1—70) ante finem a. 726 compositum esse non posse docuit, ell. I, 6. II, 7. III, 29 hoc anno Propertium jam multas ad Cynthiam celebrandam elegias, in quarum numero totus est liber I, condidisse satis dilucide demonstrat. Quibus ex positis cum eo quaestio redeat, num carmina illa aut una cum carminibus amatoriis aut Cynthia in perpetuum relicta sint condita, Eschenb. affert, primum Propertium tale opus quale V, 1, 1—70 pronuntiat, ex cogitare non potuisse iis temporibus, quibus puellae vinculis tenebatur, deinde quominus in discidium illud annuum haec carmina cadere putemus, impedire et temporum rationes et carmina illa, quae ex ipso discidio exstent ita ut, quoniam talis alterius infortunii nulla fiat mentio, dubitandum non sit, ell. 1. 2. cett. post priorum librorum elegias conditas

1) de Erott. Roman. p. 69.

esse statuere; atque hanc sententiam eo admodum confirmari, quod Propertius in ell. II, 1. IV, 2. IV, 8., quas diversis temporibus scriptas esse admodum sit probabile, et quarum una vel altera facile ultimis amoris temporibus condita esse possit, se qualia in illis libri V elegiis invenimus, canere posse neget.

Hanc Eschenburgii sententiam Luetjohann l. l. pp. 85—88 duobus argumentis et confirmare et accuratius definire sibi videtur ille quidem, sed quomodo confirmaverit, perspicere non possum. Nam primo, quod affert argumento: „omnia, quae habemus carmina, quae post amorem i. e. post a. 732 scripta esse jam constet, frustula tantum esse operis imperfecti" ita tantum illam definit, ut paulo ante poetae mortem esse conscripta illa putemus; alterum vero argumentum, quo idem eo comprobare vult, quod ell. III, 1 et V, 6a — carmine illo ex el. V, 6 integrae vv. 1—11 et 69—86 confecto — inter a. 732 exeuntem et a. 738 exeuntem in bellis canendis fuisse occupatum poëtam doceri dicit, meras esse mugas ex eis, quibus in el. V, 6 tractanda haec Luetjohannis commenta refutavi, satis elucet.

Jam argumentis illis ab Eschenburgio prolatis addam nova ex iis desumpta, quae de extremi et priorum librorum carminibus disputavi. Atque primum argumentum promo ex el. III, 1 vv. 25 et 26:

„Nondum etenim Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor."

„Ascraei fontes" cum ii sint, e quibus Hesiodus hausit (cf. III, 32, 77), Propertius hoc carmine, quo res ab Augusto gestas se esse celebraturum promittit, ad illud sese convertere dicit, quod numquam antea sit ausus, quoniam nondum carmine magnifico eoque epico facta cecinerit, sed solus Amor carmina ipsum docuerit. Hac ipsa autem de causa versibus, qui antecedunt, 21—24: „Ut caput in magnis ubi non est tangere signis" cett. laudis suae levitatem excusat ille. Jam vero cum supra demonstraverimus, c. III, 1 conditum esse abdicata Cynthia i. e. a. 732, ell. 1. 2. 4. 6. 9. 10, quippe in quibus epica tractet poëta argumenta modis elegiarum ad-

hibitis, ante a. 732 inchoatas esse non posse liquet. Sed longius etiam progrediendum esse el. V, 6 docet, quam elegiam omninum, quae exstant, elegiarum Propertianarum esse extremam e. v. 77 sequitur, quo ineunte fere a. 739 illam esse scriptam exposuimus. Ad hunc autem annum cum haec sola, de qua agimus elegia sit referenda, ad sequentes nulla pertineat, poëtam hoc fere anno vel paulo post de vita decessisse veri est simillimum. Jam vero cum hanc quoque elegiam necessario in eorum carminum numero, quibus „causas aperire" sibi proposuit poëta, esse habendam evicerimus, cum pauca, quae exstant huiusmodi carmina consilio illi c. 1 promutiato ex parte respondeant neque usquam poëtam tale condidisse opus commemoretur, ita ut maximam horum carminum partem esse deperditam probabiliter conjicere possimus, poëtam et extremis demum vitae annis in tale opus incubuisse et quominus ad finem perduceret, morte esse impeditum luce clarius est.

Hoc autem certis argumentis constituto exordium illud ex vv. V, 1, 1—70 constans antequam cetera ejusmodi carmina 2. 4. 6. 9. 10 sunt conscripta factum esse oportere patet. Etenim cum demonstratum sit, poëtam et quod sibi V, 1,69 proposuit, ad finem non perduxisse, et quominus consilium illud perficeret, morte esse impeditum, qua, quaeso, alia tempestate nisi antequam cetera carmina condidit, prooemium illud, quo quae perficere non potuit pronuntiat, composuisse eum putemus?

Tribus autem his, quae adhuc attuli argumentis: primum c. V, 1, 1—70 ante omnia ejusmodi carmina compositum esse oportere, deinde post a. 732 demum carmina nostra condi omnino potuisse, denique c. 6 et ad idem carminum genus esse referendum et ad extremam poëtae aetatem pertinere: Propertium tali operi, quod c. V, 1, 1—70 pronuntiat cum post Cynthiae amoren i. e. post a. 732 tum extremis vitae annis operam navasse et quominus ad finem perduceret illud morte esse impeditum liquet.

Haec autem omnia, quae summa probabilitate de ell. V, 1, 1—70. 2. 4. 6. 9. 10 temporum ratione exposuimus, refutant ea, quae Lachmannum et Hertzbergium de altera el.

V, 1 parte statuisse supra attulimus. Nam quoniam demonstravimus post amoren demum tale opus incepisse poëtam et ne absolveret morte eum esse impeditum, utriusque viri docti sententia ad irritum cadit neque esse videtur, cur verbum addam.

Jam aliam viam ad explicandam hanc alteram c. V, 1, 71—150 partem ingressus est Fuerstenau[1]), qui vv. V, 1, 1—150 pro prooemio carmm. illorum 2. 4. cett. esse habendos demonstrare studet, a poëta factum, ut cum jam juvenis sibi proposuisset, sacra diesque et cognomina prisca locorum canere — nondum cecinisse — in eis pangendis Cynthiae amore esse interceptum indicaret. Sed si hoc consilio scriptum esset carmen et alias exsistere difficultates et permirum esse poëtam, quamvis nihil aliud dicere voluerit, nisi talibus epici generis carminibus operam quondam se dedisse quidem, sed unius puellae amore ab illis esse avocatum, tam multa tamque gravia fecisse verba Eschenburgius l. l. p. 99. monet. Quae cum ita sint nescio an comprobetur Eschenburgii et Heymreichii (l. l. pp. 673 sqq.) sententia, qui spurios hos esse versus contendunt, vel illud, quod protulit Luetjohann (l. l. p. 54), hanc alteram partem ad Propertium esse scriptam ab amico quodam, ut ab amore nostrum revocaret. Sed probabilitate omnino carere hos versus esse aut spurios aut ab altero quodam ad Propertium ipsum scriptos, Vogtius[2]) satis firmis docet argumentis, ad quem, ne acta agam, unumquemque revoco. Vogtius autem ipse vv. V, 1, 1—50 unum efficere carmen docere studet, cum formam carminis esse illam satis frequentem qua poëta a graviore causa ad leviorem se revocet dicit. Sed inter exempla illa, quae ad confirmandam sententiam suam ex Propertio ipso (IV, 2), Horatio (c. II, 1. III, 3) ovidio (Am. I, 1) affert, et nostrum carmen ne minimam quidem esse similitudinem, qui haec carmina leviter tantum perlegerit facile concedet. Etenim carmen nostrum ab illis, quae iste jactat, plane est diversum eo, quod poëtam consilium priore carminis parte pronuntiatum, quamvis Vogtio auctore se ab illo avocet posteriore ejusdem carminis parte esse persecutum

[1]) Quaestt. Prop. Rinteln. 1845.

[2]) diss. de l. IV. Prop. Helsingf. 1872 pp. 27 et 37 sqq.

ell. 2. 4. 6. 9. 10 docent, cum consilium, a quo in carminibus illis documenti loco a Vogtio allatis poëtae se revocant, re vera abjiciatur, ita ut carmina illa suum orbem efficiant. Deinde ut nobis persuadeat, quam apte posita sit el. V, 1, 1—150 primo huius libri loco, exponit, ut earum, quae sequantur elegiarum partim amatoriae sint partim exhibeant argumenta ex sacris fabulisque antiquis petita, ita consentaneum esse toti libro quasi praefationis loco eam elegiam praemitti, quae utrique generis particeps duplex libri argumentum indicet. Ad hanc sententiam miram atque aperte falsam refutandam verba facere paene taedet. Hoc dico: Quis sibi persuadeat aut Propertium, aut quemvis aevi Augustei poëtam, cui diversorum generum carmina se uni libro esse inserturum significare in animo erat, tam rudi tamque horrida ratione esse usurum, ut duo carmina, quorum alterum alteri carminum illorum generi est ascribendum, juxta ponat? Quibus consideratis cum actum sit de Vogtii sententia, mitto c. 1 Horatianum, quod quamvis ad sententiam suam comprobandam ille attulerit, id ipsum, quod monui testatur. Affert enim ille Horatium similiter ac Propertium hoc loco in eo carmine, quo tres priores indixerit libros, et severa et ludicra carmina se scripsisse declarare, siquidem recte J. C. Jahn [1]) ostendat, deos superos et Polyhymniam de gravibus, Euterpen et Nymphas et Satyros de levibus carminibus esse accipiendos.

Quaecunque igitur ad definiendam rationem, quae intercedit inter has duas c. V, 1 partes tentata sunt, quoniam difficultates satis magnas, quae conjuncta utraque parte exsistunt, nullo modo solvunt, iis, quae de ell. V, 1, 1—70. 2. 4. 6. 9. 10 satis dilucide evicimus, pro fundamento positis novam explicandi viam ingredi conabimur. Quoniam enim primum vv. V, 1, 1—70 concinnum carmen, quod ut prooemium ell. 2. 4. 6. 9. 10 suum orbem efficiens quid sibi velit ut intelligatur altera parte V, 1,71—150 nequaquam egeat, exhibere et per se patet et inde colligi potest, quod alterius huius partis nulla ratione habita haec carmina explanare

1) in disputat: de Hor. c. 1 Lpz. 1845. pag. 27.

potuimus, deinde quamcunque rationem inter alteram atque priorem partem statuerunt vv. dd., summae exsistunt discrepantiae cum iis, quae de ell. V, 1,1—70. 2. 4. 6. 9. 10 exposuimus, jure concludere mihi videor, vv. V, 1,71 — 150 proprium a priore parte plane segregandum exhibere carmen, quod quo consilio scriptum sit, jam demonstrabo.

Atque primum quidem quamquam certum temporis signum in hoc, de quo agimus carmine non inest, tamen ex tota argumenti ratione dilucide apparet, scriptum esse illud item ac plurima huius libri carmina post Cynthiae amorem. Etenim ea, quae horoscopus de amore Propertii vaticinatur, tum esse scripta, cum Cynthia jam talem se praebuerat, qualem fore eam Chaldeaus vaticinatur vel potius vaticinari fingitur, tam accurata descriptio amoris et dolorum, quos a Cynthia repudiatus Propertius pertulit docet. Quis enim putet, Propertium horoscopi nomine velatum revera praesagire futura? Futura quasi ex praeteritis praedicit, itaque carmen eo tempore scriptum est, quo res in eo narratae jam actae erant i. e. finito erga Cynthiam amore. Jam cum primis huius carminis versibus vates, cujus partes Propertium agere nemo negabit, poëtam ne ea suscipiat, quae quoniam a dis ei sint negata, lyra ipsa refutatura sit, admoneat, verum perspexisse mihi videor, si Propertium, quem Cynthia relicta poësin quoque amatoriam valere jussisse atque ad argumenta graviora se convertisse et libri IV elegiarum argumentis et el. III, 1 doceri demonstravimus, hoc carmen composuisse ea tempestate contendo, cum consilio αἴτια, ut ita dicam, Romana pangendi capto opus ipsum erat inchoaturus. Nimirum Propertius, quem ita a natura se esse generatum, ut amaret amantibusque quae placerent caneret, persuasum habuisse omnes priorum librorum elegiae clamant, ad hanc vitae condicionem jam totum se accommodaverat eamque tam saepe professus erat, cum Cynthiae nequitia atque pravitate ad irritum illa cadit. Atque hac ipsa vitae tempestate, qua a se ipso dissidens, amorum acerbitate coactus eam vitae viam adhuc unice frequentatam, cui soli se natum esse putabat, erat relicturus, ut ad severioris vitae condicionem se applicaret, fingit poëta — nihil enim nisi lusus

cogitationis rerumque fictarum totius carminis argumentum esse jam ex eo, quod de vaticinatione personaque horoscopi dixi, apparet — fingit igitur poëta, vatem quendam, ut a proposito ipsum avocet vitae suae condicionem propriam atque a dis destinatam in amoribus eisque celebrandis esse positam praesagire. Carmen igitur nostrum eo consilio a Propertio est compositum, ut sibi eam vitae viam ingressuro, cui se aptum non esse ipse persuasum habebat, propriam illam vitae suae condicionem se ipsum irridens oculis proponeret.

Cui sententiae modo prolatae num carminis illius, quod vv. V, 1, 71—150 efficere contendo, argumentum respondeat jam videamus. Vates postquam vv. 71—74 Propertio ea, quae sibi proposuisset, deos non permisisse pronuntiavit, priusquam vaticiniationem ipsam profert, ut fidem illius augeat inde a v. 78 usque ad v. 134 eius artis, quam profitetur, Astrologiae fidei documenta enarrat atque Propertii vitae condicionem, cum patriam, primae juventutis vicissitudines commemoraverit, ita adumbrat, ut (131—134) eum toga virili sumpta ab Apolline i. e. a dis ut Musis non foro vacaret esse admonitum dicat. Atque hanc vitae condicionem a dis ipsis Propertio praescriptam horoscopus inde a v. 135 usque ad carminis exitum ita accuratius definit, ut poësin elegiacam vel potius amatoriam solam ei esse tractandam dicat, quoniam unius puellae vinculis irretitus ab ejus amore quamvis infelici liberare se non possit.

Ex carminis argumento elucet verbis (v. 13): „tum tibi pauca cett.“ vatem non significare, quod suspicati sunt vv. dd. (cf. supra p. 46) ell. illas 1. 2. 4. 6. 9. 10. Nam consilio, quod sequi sibi proposuerat Propertius commemorato vv. 75—134 nihil aliud agit vates nisi ut vaticinationi, quam prolaturus est fidem faciat. Atque hoc ita instituit, ut allatis, quae ipse verissime erat vaticinatus, praeteritam poëtae ipsius vitam enarret, ea nempe proferat, quae vera esse Propertium ipsum cognoscere necesse est. Hanc autem vitae praeteritae descriptionem usque ad eam persequitur tempestatem, qua ne sequatur, quod sibi proposuit consilium (vv. 71 sqq.) jure illum admoneri apparet, usque ad vv. 133 et 134. Hos enim versus

ad vitae jamjam peractae pertinere descriptionem cum per se patet tum vv. 131 et 132, quibuscum arctissime sunt conjuncti, et v. 135 clamant, cujus verba „at tu finge elegos" ad ea transire vatem docent, quae ut faciat poëta ipse est adhortaturus. Verbis vero: „Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo" non esse intelligendas ell. V, 1,1—70, 2. 4. 6. 9. 10, sed poësin elegiacam primum demonstrat huius ipsius carminis v. 73, quo Apollinem ipsum „aversum" esse ei, quod Propertius canere sibi proposuit, docemur, deinde Apollinem talia carmina omnino non dictasse sibi poëta ipse profitetur in el. IV, 2. Qua in elegia postpuam vv. 1—12 se in Helicone somniantem ad eos accessisse fontes, e quibus Ennius quondam hausisset, dixit, vv. 13—16:

„Cum me, inquit, Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait aurata nixus ad antra lyra:
„Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere jussit opus?""

et vv. 25 et 26:

„Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est."

Quae cum ita sint cum v. 133 eadem significari carmina ac v. 135 liqueat, cum verba: „tum tibi pauca cett." non nisi hoc modo explicari possint: „Propertio ab Apolline vel a dis poësin eamque elegiacam esse tributam" vatem in describenda vita a poëta peracta eo tendisse, ut a dis poësi elegiacae eum esse destinatum demonstraret, patet. Atque hoc eo fecit consilio, ut deorum ipsorum numine commemorato eo maiore auctoritate suam ipsius proferre possit adhortationem: „at tu finge elegos." Haec igitur verba non versibus proxime antecedentibus, sed setentiae vv. 71—74: „tu carmini epico aptus non es" expressae sunt opposita [1]).

Atque hoc, quod ut faceret, Propertium vv. 135 et 136 admonuit, comprobat vates eo, quod extrema elegiae parte amorem, quo Cynthiam sit amplexurus, accuratissime praedicit poëtae. Quod ut intelligamus paulo uberius dicendum erit de vv. 139 et 140:

---

[1]) Ad hunc usum particulae „at" satis frequentem conferas V, 2, 47.

„Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas."

Qui versus recte perspici non possunt nisi cum v. 138: „Et Veneris pueris utilis hostis eris.," quem eos respicere particula „nam" docet, in interpretando arctius conjunguntur. Hunc autem versum recte explicasse mihi videtur Hertzberg, qui in transl. germ. p. 402 dicit: „den Knaben der Venus, den Eroten, heisst er ein nützlicher Feind; denn sie werden manchen Sieg über ihn erfechten, manche Beute an Liebesliedern von ihm gewinnen." Jam vero cum vv. 139 et 140 huius rei causa contineatur, „victrices palmas," quas una puella eludet, intelligendas esse — non, quod suspicati sunt vv. dd., ell. 1. 2. 4 cett. jamjam conscriptas — sed „conatus illos" patet, quibus Propertius „magno labore" ab amore huius „unius" puellae i. e. Cynthiae — nam apud Propertium hoc nomine alia omnino intelligi non potest — se liberare studuit. Quos conatus omnes elusisse illam atque ea ipsa re Propertium Veneris pueris utilem fuisse hostem et el. V, 7, qua puellae mortuae quamvis abdicatae honores solvit debitos et quatuor priores elegiarum libri clamant. Haec sententia ultro eis, qui sequuntur versibus confirmatur, quibus numquam ab illo amore eum se prorsus esse liberaturum accuratius exponitur. Versibus igitur 137—147 haec tria dicuntur: primum unam puellam, deinde perpetuo, tum summo cum dolore a Propertio amatum iri. Extremis autem versibus, quamvis obscuris nobis in tanta astrologiae inscientia cum malum quoddam ab horoscopo attingi in propatulo sit, a vero aberrare mihi non videor, si quod totius argumenti natura fert, infelicem amoris exitum indicari contendo.

Quibus expositis cum vv. 137—150 describatur vitae praeteritae pars ea, quae sequitur illam vv. 121—134 adumbratam, ita ut carmine nostro tota Propertii vita et ante amorem et in illo peracta i. e. inde ab a. fere 708—732 nobis proponatur, c. V, 1,71—150 argumentum sententiae supra prolatae plane respondere liquet.

Jam vero qui factum sit, ut c. V, 1,71—150, quod a priore V, 1,1—70 ut novum segregandum esse docuimus,

cum hoc tam inepte conglutinaretur, facile intelliges, si hunc librum a poëta nec perfectum neque editum esse consideraveris. Ab ipso enim poëta librum V non esse editum et inde colligi potest, quod tam variorum argumentorum carmina — quorum nonnulla de causis supra allatis cum priorum librorum elegiis de industria ab illo in lucem non esse prolata (V, 5. 8.) certum est — sic inter se sunt mixta et confusa, et inde apparet, quod cum prioribus libris ea carmina, quibus quae sequerentur elegiae indicaretur, sint praemissae, hic liber tali prooemio caret. Amicus igitur vel quisquis erat carmina ab illo in scriniis relicta editurus cum consilium V, 1,1—70 pronuntiatum ad finem perductum non esse animadvertisset, vv. V, 1,71—150, quippe quibus huius rei causam explanasse poëtam opinaretur, cum c. V, 1,1—70 satis inscite composuit.

Ex his autem, quae de vv. V, 1,71—150 argumento et consilio protuli, quoniam hoc carmen temporum rationi, quam et Eschenburgii argumenta et nostra in ell. V, 1. 2. 4. 6. 9. 10 cadere docent, non obstare elucet, subducta atque eversa sunt eorum fundamenta, qui hoc potissinum carmen secuti ell. V, 1. 2 cett. prima juventute esse compositas nec tamen perfectas propter exardescentem erga Cynthiam amorem contendunt. Quo demonstrato cum novo eoque gravi argumento nostram de ell. 1. 2. 4. cett. causarum et temporum ratione sententiam esse comprobatam appareat, confirmabo denique illam iis, quae de quatuor prioribus elegiarum libris in altera huius dissertationis parte observavi.

Ut Eschenburgius exposita artis metricae ratione, quae intercedit inter singulos libros Propertianos, libri V elegias omnium Propertianarum esse extremas demonstravit, ita explanata argumentorum ratione, quae intercedit cum inter tres priores libros et IV, tum inter quatuor priores et V, comprobasse mihi videor, ante quatuor priorum librorum elegias libri V scriptas esse non posse. Rationem enim esse eam ostendi, ut cum in libris I—III vigente suo erga Cynthiam amore et in puellae ipsius laude amplificanda et in amore suo canendo ita occupatus sit poëta, ut aliud nisi amoris argumentum tractare omnino non possit, in libro IV, cujus elegiae extremae

Cynthiam esse dimissam demonstrant, defervescente sensim amore ad argumenta se converteret graviora atque austeriora. Quid? quod discisso tandem amoris vinculo ad illud animum advertere eum docemur (III, 1), cui vires suas non sufficere ubique est professus, quodque se antea nondum suscepisse (III, 1,25) declarat. Hac autem ex re cum illud sequitur, non poësin Propertium simul cum amore esse relicturum, tum illud, elegiarum illarum, quibus totus fere continetur liber extremus, species, quarum insigne proprium et peculiare sunt argumenta gravia atque severa, quippe occupata in tractandis rebus, quae decent animum et rerum cognitionis et doctrinae studiosum (V, 1, 1—70 2. 4. 6. 9. 10) et affectuum gravitate praeditum (V, 3. 11.), priorum librorum indole atque natura imprimis libri IV elegiarum ratione vel ipsa poësi Propertiana esse praeparatas. Quodsi consentaneum est et poësi Propertianae plane accommodatum in libro V tractari argumenta a trium imprimis priorum librorum indole plane aliena, incubuisse poëtam in explicandas sacrorum, dierum, locorum cognominum causas atque origines toti ejus poësi prorsus respondet. Quid enim? Propertium, quem admodum juvenem poësin suam ad unam rem sc. ad suum erga Cynthiam amorem direxisse scimus, nonne necesse esse videtur experti ingenii poëtam id maxime esse acturum, ut cogitationes suas poësinque ad unum potissimum conferat neque carmina tantum condat, quorum occasio aliqua fortuito copiam faciebat velut V, 3. 11? Jam vero cum et IV, 4, 23 sqq.:

„Atque ubi jam Venerem gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas,
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum“ cett.

atque imprimis IV, 21, 25—30:

„Illic aut studiis animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis, e. q. s.“

eo nempe carmine, quo ut amoris vinculis se exsolvat, Athenas se esse profecturum dicit, cum his locis in universum certe enuntiet, missis amorum lusibus et gaudiis ad studia severa animum se esse adversurum, quoniam revera illud, quod posuerat, acciderat, quid, quaeso magis erat consentaneum

atque totius poësis Propertianae rationi magis accommodatum, quam quem quatuor priorum librorum elegiae Alexandrinorum poësin imitantem ostendunt, carminibus tractandum sib proposuisse illum id, quo quem maxime secutus est auctorem, Callimachus summam cepit gloriam? Respondent denique ell. V, 1, 1—70. 2. 4. 6. 9. 10 iis, quae universe in elegiis illis, quibus amore se impediri dicit, ne aliam nisi poësin amatoriam tractet, de poësi sua exponit poëta, dico ell. II, 1. IV, 8, eo consilio scriptas a Propertio, ut epica se esse conditurum carmina negaret. In his enim carminibus postquam se puellam suam solam posse celebare dixit (II, 1, 1—16. IV, 8, 20. 43—46), si aliud quid canere sibi permissum esset, Romae urbis praestantiam atque majestatem resque ab Augusto gestas (II, 1, 25 sqq. IV, 8, 47 sqq.) carminibus se esse prosecuturum pronuntiat.

Omnibus autem his, quae de Proqertianae poësis ratione et consilio ex ipsis priorum librorum elegiis erui possunt, ell. V, 1. 2. 4. 6. 9. 10 plane respondere patet. Primum enim Callimachi exemplum secutus „causas“ interpretatur poëta, deinde in explicandis his causis, quippe quae spectent ad Romae urbis sacra, loca cett., Romae ipsius majestatem atque praestantiam resque ab Augusto praeclare gestas non commemorari nec celebrari non posse pauca, quae exstant carmina testantur, denique causa illa, qua ne antea talia caneret impediebatur, Cynthiae amor, est remota.

Vides omnia eo ducere, ut libri V elegias, quibus „causas“ aperit Propertius, Cynthia in perpetuum abdicata i. e. post a. 732 esse conditas statuamus. Jam vero si comparaveris illud, quod Eschenburgius explanata Propertii versuum arte de Propertianorum carminum forma demonstravit, cum eo, quod nos excussis singulorum librorum argumentis de poësis Propertianae natura comprobavimus, aliud quidquam de libri V carminibus statui omnino non posse concedes. Ut enim elegiarum forma ab inelegantia metrica ad majorem metrorum elegantiam singulis in libris ita gradatim procedit, ut carmina elegantissima et a metricis duritiis quam maxime vindicata compareant in l. V, ita elegiarum argumenta in quatuor

prioribus libris a levioribus, quae tota versantur in amorum lusibus atque lasciviis, progrediuntur ad graviora atque austeriora, donec omnes libri V elegiae, modo eas contempleris, quae—quod statim exponam—ex temporum ratione huic libro sunt ascribendae, spirant summam gravitatem animique altitudinem, quae decent hominem vitae vicissitudinibus doctum. Atque hic concentus consensusque, qui inter singulorum librorum et artis metricae et argumentorum rationem tam perspicue intercedit, locupletissimum mihi esse videtur documentum, et elegias, quibus „causas" aperit poëta, et omnes illas libri V elegias, quae item versuum elegantiam et argumentorum illam gravitatem prae se ferunt, ad extrema Propertii vitae tempora esse referenda.

Quod modo dixi testatur primum el. V, 11, quae a. 738, extremo fere Propertii vitae tempore, scripta [1]) et argumenti gravitate excellit et elegantiis metricis cum ell. 1. 2. 4. cett. prorsus consentit. Idem confirmant deinde reliquae huius libri elegiae, quarum illae (V, 3. 7), quas ex certis aut temporum aut causarum vestigiis posterioris ejusdem aetatis esse patet, utriusque huius, quod elegiarum, ut ita dicam, Romanarum est proprium, discriminis sunt participes. El. lenim 3 et 7, quarum utramque post amorem esse scriptam et Parthorum belli commemoratio, quae inest in el. 3, et el. 7 argumentum ipsum, quo Cynthia mortua inducitur, docent, quamvis in amatoriis versentur argumentis, tamen a ceteris ejusmodi elegiis Propertianis recedunt sedata et virili affectuum gravitate plane diversa a furore illo atque aestu amatorio, quem in priorum librorum elegiis non admirari non possumus. A re autem metrica cum haud ita multo post Cynthiam abdicatam et nescio an ante ell. V, 1. 2. 4. cett. sint compositae, non prorsus cum his consentiunt, at pauca praebent exempla licentiae metricae, quae in prioribus libris inveniuntur. Ell. vero 5 et 8, quas vigente amore scriptas ob argumenta satis turpia a poëta non esse editas scimus, a libri V gravitate atque severitate alienae illae quidem, plane tamen accommo-

[1]) cf. Luetjh. l. l. p. 91. Hertzb. Q. l. III, p. 228.

datae sunt rationi satis lascivae, quam prae se ferunt elegiae amatoriae vere Propertianae, quas diximus; quod autem attinet ad versuum elegantiam, quoniam posteriori fere amoris tempestati eas esse ascribendas puellae vitae, quam adumbrant illae, condicio inhonesta demonstrat, non tam cum tribus prioribus libris quam cum IV consentiunt.

Quare si carmina, quae sola huic l. V sunt inserenda: 1, 1—70. 1, 71—150. 2. 3. 4. 6. 7. 9. 10. 11 spectamus, primum hunc librum extremum exhibere genus carminum a priorum librorum elegiis, quod attinet ad argumenta et artem metricam plane diversum, deinde utriusque huius discriminis causam esse positam in tempestate, qua condita sunt haec carmina liquet. Nam argumentorum severitas atque gravitas explicatur eo, quod Propertius Veneris castris relictis ad severiorem vitae rationem se applicavit, atque rei metricae elegantia eo, quod quo dintius versatus est in carminibus condendis, eo magis ad perfectiorem popularium suorum artem se accommodavit.

IV. De libri V elegiarum compositione.

Expositis causis, a quibus repetenda sunt singulorum librorum inter se discrimina, ad quartam disputationis partem transeamus, ut quid judicandum sit de eorum sententia videamus, qui ab altero formae genere, quod verborum atque sententiarum conformatione cernitur, libri V carmina nec polita nec perfecta esse contendunt. Atque omnium huius libri elegiarum maxime tentatae sunt elegiae illae Romanae, quas diximus, cum praesertim Lachmann, qui in adn: ad V, 1, 1 versus, quoties rupto sententiarum filo non bene cohaererent, spatiis intermediis vacuis relictis se esse distincturum pronuntiavit, non nisi in ipsis his ell. 1. 2. 4 cett. hoc signum posuisset. Cui Lachmanni sententiae in universum astipulatur Luc. Mueller cum dicit in praef. p. XIII: „Identidem in hoc (V) libro ordo sententiarum minus apte procedit nec semper definias Propertii id evenerit culpa an librariorum; neque enim ipse haec carmina quantumvis castigata videtur omnino absolvisse."

Jam eorum, qui defenderunt ell. illas V, 1, 2. 4. cett. Krahnerus,[1]) postquam omnium horum carminum praestantiam agnovit his verbis: „Seine patriotischen Elegien sind sicherlich nicht die schlechtesten Blüthen an dem lebensfrischen Baume seiner Poesie Wenn man sich müde gelesen hat an den erotischon Tändeleien weilt man gern bei dieser ernsten, tief empfundenen und durchdachten Darstellung römischer Grösse cett.," in el. V, 1 pratem priorem (vv. 1—70) nequaquam cadere, quod de huius libri elegiis statuerit Lachm., satis perspicue demonstrat. Huius rationem nos ita sequemur, ut ostendamus ne secundam quidem libri V elegiam verborum atque sententiarum concinnitatis laude carere.

El. V, 2 argumentum positum esse in explicanda Vertumni dei nominis origine vv. 10—12. 19. 20. 47. 48 aperte docent. Atque v. 1. statim dei nominis causam universe proponit poëta, cum deum ei respondentem inducit, qui tot in uno corpore comprehendere illum formas, miratur. Cui postquam v. 2, quibus rebus vel signis in patria sua cognosceretur, se esse enaraturum deus dixit, versibus, qui sequntur, nonnulla de patria sua, de tempore, quo illa relicta (vv. 3. 4.) Romam transmigraverit, de loco ubi illic signum suum sit collocatum (vv. 5—8) affert. Hac ipsa loci descriptione cum tamquam fortuito ad eam nominis sui explicationem sit delapsus, quae falso circumferebatur (vv. 9. 10.), vv. 11—18 alteram addit causam, unde quidam nominis sui originem repetant, denique v. 19 utraque explicatione ut falsa rejecta v. 20, quae sit nominis sui origo se ipsum esse prolaturum pronuntiat. Atque haec Vertumni explicatio, quam ut veram esse putemus eo persuadere nobis poëtam velle apparet, quod deum ipsum eam probare fingit, continetur vv. 21—46. Jam vero quamnam ad rem referenda sit nominis sui origo iterum primo huius partis disticho universe indicat deus, cum dicit, naturam suam vel se ipsum omnibus figuris esse aptum, ita ut in quamlibet verti possit. Causa ita summatim allata ut naturam suam omnibus esse opportunam figuris doceat, vv. 23—46

[1]) Philol. XXVII, p. 61.

in quot quamque varias figuras verti possit, enumerat, et vv. 47. 48 hac ipsa de causa, quod in omnes se vertere possit formas, Vertumnum se esse appellatum, perorationis in modum addit.

Hoc modo quamquam nominis interpretatione absoluta carmen aptissime concludi potuit, poëta ad carminis intium respiciens, quo dei Tusci inter proelia Romam transmigrantis signum in loco foro Romano vicino esse collocatum indicavit, vv. 49—54 cur ille locus „vicus Tuscus“ sit appellatus deum afferentem simulque quo tempore et qua occasione ipse Romam venerit, accuratius definientem facit. Denique vv. 56. 57 cum pro gratia, quam Romani popularibus suis eo, quam vv. 40. 50 commemoravit modo retulissent, optaverit, ut in perpetuum populum Romanum in foro pacis negotiis vacantem spectare posset, versibus extremis in Mamuri, signi aënëi artificis laudem ita deflectit, ut ultimo versu totum carmen perorans qualis sit ipsius natura et indoles iterum indicet.

His expositis certa compositionis ratio facile perspicitur. Tribus enim totum carmen continetur partibus, quarum unam efficiunt vv. 1—20, alteram vv. 21—48, tertiam vv. 49–64. Atque inter singulas has, quas distinxi partes ea intercedit ratio, ut altera vel media carminis pars rem ipsam vel argumentum ipsum, ad quod illustrandum totum carmen est compositum, prima prooemium, tertia perorationem huius ipsius argumenti exhibeat. Etenim cum carmen eo consilio sit scriptum, ut quae esset Vertumni dei nominis rigo explicaretur, hoc ipsum poëta summa arte ita praeparat, ut consilio v. 1 indicato, postquam vv. 3—9 dei patriam, sedem, alia adumbravit, versibus, qui sequuntur falsas nominis explicationes refutet veramque nominis causam prolatum iri v. 20 pronuntiet. His autem praemissis cum ad propositum ipsum tamquam viam sibi aperuerit, vv. 21—48 unde sit nominis origo repetenda profert. Quare vv. 1—20 prooemium, vv. 21—48 argumentum ipsum contineri liquet, si ea est prooemii natura, ut illud, ad quod spectat totum carmen praeparet, argumenti, quod proprie dicimus, ut quod carmine demonstrare voluit poëta contineat. Tertia denique parte

ad principium rediens primum locum, ubi Romae esse collocatum dei signum vv. 5—8 indicaverat, deinde tempus, quo eo transmigravit, v. 6 adumbratum accuratius significat atque vv. 59. 60 pristina dei signi forma commemorata in novi signi artificis laudem deflectens aptissime totum carmen concludit. Vv. igitur 49—63 ut in prooemio eae tractantur res, quae quamquam ab ipso consilio, quo conscriptum esse carmen diximus, quodammodo sunt alienae, tamen ita sunt comparatae, ut argumentum ipsum, quod in dei nomine explicando versatur, aptissime et praeparent et perorent. Atque certa haec, quam proposuimus, compositionis ratio est ea, quae omnibus iis elegiis Propertianis, quibus „causas" aperit poëta, est propria et a nobis in tractandis ell. V, 4 et 6 jam est explanata. Huius vero carminum illorum naturae et indolis documentum locupletissimum atque luculentissimum esse hanc, de qua agimus elegiam facile apparet. Nam quamquam prooemium et peroratio summa arte sunt dilatata, tamen narratio, quam huiusmodi carminum esse notam peculiarem exposuimus, iis includitur finibus arctioribus, quibus quid sit propositum, quid demonstratum diserte indicatur.

Atque haec quidem de totius carminis compositione; jam videamus, num in singulis quas distinximus, partibus ratio quaedam componendi perspici possit. Atque primum quidem in prooemio componendo certam quandam rationem esse secutus poëta mihi videtur. Nam cum vv. 1—20 id maxime agat, ut falsas, quae de Vertumni nomine ferantur opiniones rejiciat, distichis 1 et 10 omissis, quorum priore totius carminis consilium pronuntiatur, altero prooemium ipsum peroratur, falsae illae opiniones bis quaternis versibus includuntur. Ad priorem enim nominis explicationem a flumine verso repetitam ea, quae vv. 3—8 commemorantur deducunt, ita ut vv. 3—10 hac ipsa de causa arctius sint conjuncti; alteram autem explicationem vv. 11 et 12 porolatam in vv. 13—18 exemplis illustrari patet. Denique vv. 19. 20 utraque explicatio rejicitur veramque prolatiim iri indicatur, ita ut hoc disticho prior carminis pars peroretur, altera proponatur.

Atque eandem hanc disponendi rationem in tertiae carminis partis vv. 49—64 invenimus, cum et vici Tusci origo bis quaternis versibus exponatur, et Mamuri laus iis, qui restant octonis versibus celebretur. Nam vv. 57. 58 ad sequentes referre non dubito, quia ut vv. 3—8 ad priorem nominis explicationem, his ad artificis celebrationem carmen deducitur. Jam vero haec bis quaternorum versuum collocatio admodum confirmatur cum eo, quod in prooemio haec disponendi ratio plane est perspicua, tum quod octoni illi prooemii vv. 3—10 octonis perorationis 49—56 manifesto respondent, quandoquidem utrique Vertumnum a Tuscis Romam transmigrasse ibique ut semper sedem teneat optare ostendunt.

Restat, ut quaeramus, num in media carminis parte eandem vel similem componendi rationem secutus sit poëta. Hoc quidem in propatulo est, binis versibus (21. 22 et 47. 48.) argumentum pronuntiari et absolvi, sed intra hos fines certam versuum collocationis normam perspici posse — quod demonstrare studet Luetjohannes l. l. p. 60 — nego; quid? quod talem disponendi aequabilitatem consilio evitasse mihi videtur poëta, ut dei naturam variam atque mutabilem illustraret, de qua re paulo infra uberius disputabo. Quare de huius partis compositione nihil aliud statuendum esse videtur, nisi narrationem illam, qua deum omnes induere posse formas demonstraturus est poëta prooemii et perorationis finibus esse inclusam. Eandem vero vel similem membrorum aequabilitatem, quam in prooemio et peroratione inesse exposuimus, demonstrare non possumus.

Videmus igitur carminis compositionem esse simplicissimam illam, quam eis carminibus, quibus causas aperire sibi proposuit Propertius propriam esse habendam diximus, deinde in singulis illis, quae plerumque in talibus carminibus distingui possunt partibus certam membrorum aequabilitatem non prorsus esse neglectam, sed neque in una quaque parte esse servatam neque in duabus illis, in quibus eam observavimus, esse talem, ut plane eadem ratione utraque pars composita esse videatur. Quapropter Luetjohanni assentiendum non est, qui l. l. pp. 68 sq. quaternario versuum numero servato omnibus in car-

minis partibus eandem compositionis valere aequabilitatem contendit. Qui quantum a vero aberraverit dilucide apparebit, si vv. 41—48, quos ut aequabilitatem illam membrorum efficeret, post v. 12 inseruit, suum locum tenere post v. 40 demonstravero. Quae quoniam spectant ad singulorum versuum atque sententiarum inter se cohaerentiam, ad contemplandum sententiarum nexum transeamus, quem hoc in carmine perperam esse servatum Lachmann in ed. pr. indicavit. Vir enim ille doctissimus, qui in adn. ad V, 1, 1, quia plura huius libri carmina a poëta non sint elaborata, versus quoties rupto sententiarum filo non bene cohaereant, spatiis intermediis vacuis relictis se esse distincturum dicit, nostro in carmine signum illud decies ponit atque in adn. ad vv. 12 et 41 haec omnia male inter se cohaerere contendit.

Jam in prooemio, ubi hoc signum invenimus post vv. 10 et 18 de rupto sententiarum nexu omnino cogitari non posse ea, quae de huius elegiae partis consilio attulimus docent, ut verbum addere vix opus sit. Nam causam, quam ad confirmandam suam sententiam affert Lachm., non bene cohaerere haec omnia, quia v. 19 mendacia appellet, quae antea ut probabilia posuerit poëta, ad irritum jam esse redactam concedes, si hoc ipsum his versibus agere poëtam, ut falsas dei nominis explicationes refutet, consideraveris. Quod ut efficiat utramque, quam refutaturus est explicationem „seu" particula conjunctam proponit vv. 3—18, et v. 19 utramque esse falsam dicit.

Mediam carminis partem, quam non sine aliqua arte esse compositam supra indicavimus, hac laude privavit Lachm., cum spatiis inter singula disticha vacuis septies relictis et adn. ad v. 41 versuum inter se cohaerentiam prorsus desiderari significaret. Hanc Lachmanni sententiam ita probat Luetjohann, ut l. l. p. 35, vv. 41 sqq. justo loco legi negat eosque post v. 12 transponi jubeat. Quare quaerendum est primum, num revera sententiarum nexus saepius in hac carminis parte sit interruptus, deinde num vv. 41—46 a loco, quem obtinent in libris mss. ita sint alieni, ut in aliam sedem eos transferri necesse sit.

In recensenda totius loci indole atque praestantia praeter cetera tenendum mihi esse videtur, poëtam illud, quod vv. 21 et 22 universe pronuntiat: „naturam dei omnibus esse opportunam figuris", nonnullis proferendis figuris, in quas se vertere possit deus, esse illustraturum. Varia enim haec et mutabilis dei natura, quae „omnes" ultro formas induere potest, nonne ita apertissime exprimitur, ut modo in hanc modo in illam easque diversissimas maximeque inter se contrarias formas eum se vertisse narretur? In enarrandis autem his formis quis singula exempla ut secundum logicas normas arcte inter se sint conjuncta postulabit? Quare assentior quidem Lachmanno pluribus huius partis locis arctam desiderari distichorum inter se cohaerentiam censenti, sed ita non carminis rudis neque satis elaborati signum hoc esse mihi videtur, ut hoc ipsum a poëta, quippe qui nonnullis exemplis illustraturus sit illud: in „omnes" deum verti formas, de industria esse quaesitum et summum artificium hac re cerni existimem. Atque id agere poëtam, ut totius loci indole ac forma dei naturam tam variam tamque mutabilem exprimat, facile concedes si inde a v. 23 usque ad v. 40 singula inter se comparaveris disticha, quorum unumquodque alias, quas induere potest formas, exhibet, quae, quod videam, nisi eo, quod spectant ad illustrandam dei naturam arctius conjunctae non sunt. Jam libere comprobare, quam protuli sententiam, non dubitabis, si inter singulos distichorum versus eandem intercedere rationem perspexeris velut inter vv. 23 et 24, 27 et 28, 29 et 30 etc., quibus contraria inter se componit poëta, atque inter vv. 37 et 38, 39 et 40, quibus ea afferuntur exempla, quae ne hac quidem rei contrariae ratione conjunguntur. Omnium vero, quae attuli exemplorum luculentissimum mihi esse videntur vv. 25—28. Nam poëta cum vv. 25. 26. 28 singulis agricolae muneribus deum fungi posse enarret, v. 27, media in hac singularum agricolae formarum, quas induere possit deus, enumeratione, eum militis quoque formam esse tutatum dicit, nempe ut formis plane contrariis collocatis significet, nullam omnino cogitari posse figuram, quam statim induere non possit deus. Atque eadem ratione utitur Ovidius, qui

(Met. XIV, 650 sq.) ut eandem dei describat naturam, eum et hortulani et militis et piscatoris personam posse tueri duobus deinceps versibus commemorat.

Vides igitur primum sententiam, quam concepit Lachmann de hac el. 2 parte esse falsam, deinde nihil agere Luetjohannem, qui in hac carminis parte, qua nullo fere consilio singulis distichis singularum formarum exempla a poëta de industria esse inclusa evicimus, aequabilem singulorum versuum collocationem demonstrare studet.

Jam progrediamur ad vv. 41—46, quos jam Schraderus loco, quo in codicibus leguntur removendos et post v. 18 collocandos esse statuit. Sed ne hoc quidem loco optime cum ceteris cohaerere hos versus postquam Lachmann in ed. pr. adnotavit, Luetjohann l. l. p. 34 post v. 12 illos esse retrahendos probare studuit. Intelligi enim non posse existimat, cur hic hortorum cultorum maximam sibi esse „famam" glorietur Vertumnus, quippe qui quid fama de se statuerit, jam vv. 11—20 exposuerit. Deinde cum ceteris huius generis distichis (vv. 23 sqq.) documenta non addat, quaerit cur huic adjunxerit atque cur ea, de quibus jam vv. 11 sqq. verba fecerit? Quare cum vv. 13 sqq. de fama hominum sint scripti, ante hos suam sedem olim habuisse illos apparere.

Jam vv. 41 sqq. si omnino alio loco olim positi erant, ne illi, quem iis assignat Luetjh. attribuamus, totius loci (vv. 11—18) ratio et prima v. 41 verba: „quid ego adjiciam," quae notam praeteritionis formulam exhibent, impediunt. Nam poëta cum vv. 11 et 12 alteram nominis explicationem attulerit et versibus, qui sequuntur ad illustrandum illud, quod modo dixit, exempla fructuum in suum honorem praeceptorum proferat, hunc exemplorum numerum ita incipere non potuit, ut diceret: „nam quid ego adjiciam," quibus verbis uti non potuit, nisi ut exemplis jamjam allatis alia se addere, quamquam addere ea supervacaneum esset, significaret. Quare si post v. 12, quo alteram nominis explicationem protulit, hac praeteritionis formula utitur poëta, novam eamque notam nominis explicationem eum afferre necesse est. Sed vv. 41—48 post v. 12 transpositis ut novam, cur Vertumnus sit appellatus

non addere deum causam in propatulo est, ita Luetjoh. et his et 13 sqq. vv. exempla fructuum in dei honorem praeceptorum enarrari existimat. Rectius igitur a Schradero vv. 41 sqq. post v. 18 esse transpositos apparet, quoniam hic nonnullis jam exemplis allatis, ut alia adderet, praeteritionis formulam adhibere potuit poëta. Deinde vero maxime cavendum est, ne „famam“ in v. 41 commemoratam, vv. 41 sqq. revocandos esse ad vv. 13 sqq., quibus quid „fama“ de deo statuerit exponatur, demonstrare Luetjohanni credamus. Aliam enim „famam“ in his, aliam in illis versibus esse intelligendam totius carminis argumentum et composito clamant. Etenim, quod jam saepius monuimus, in prima carminis parte deus falsas, quae de nominis sui origine ferantur opiniones affert atque refutat. Ex alterius autem partis versibus illas hominum opiniones ea de causa falsas esse apparet, quod nominis originem ad unam vel alteram earum, quae afferuntur causas esse referendam illi arbitrantur, cum (cf. vv. 47 et 48) re vera propterea deus „Vertumnus“ sit appellatus, quia in „omnes“ se possit vertere formas, quarum notissimam atque nobilissimam esse dei hortorum praeteritionis figura: „nam quid ego adjiciam“ satis aperte significatur. „Fama“ igitur, cum in v. 19 „falsae hominum opiniones“ sit intelligenda, in v. 41 idem valet ac „gloria, claritudo, claritas.“ Quibus expositis cum demonstratum sit alio loco alio consilio dei fructuum tutelam commemorari, sequitur primum vv. 41 sqq. post v. 12 transponi non posse, deinde quoniam omnium, quibus uti potest formis deus, exhibent notissimam, ne omitti quidem potuisse a poëta media hac in carminis parte, denique prioribus versibus praeteritionis formula aptissime esse adjectos. Quae cum ita sint medium carmen non solum si totum spectamus, sed etiam a singulis partibus plane esse absolutum atque elaboratum, quin etiam summa arte compositum unusquisque concedet.

Restat ut extremam carminis partem, cujus sententiarum nexum post v. 56 esse interruptum suo signo Lachmann indicavit, eadem ac priores arte esse compositam demonstremus. Jam extremos hos elegiae vv. 49—64 contineri duabus a ver-

suum numero aequabilibus partibus, quarum unam efficiunt vv. 49—56, alteram vv. 57—64 supra exposuimus. Atque priore parte, in qua unde vicus „Tuscus“ sit appellatus explicat deus, absoluta cum sex versibus explicationis suae finem se esse facturum, sed nolle se eum, qui ad vadimonia currat morari dicentem illum fingit poëta, hoc ipso jocoso, ut mihi videtur, dicendi genere ad alteram perorationis partem, qua signi aënei artificis laudem est celebraturus, viam sibi aperit, ut de rupto sententiarum nexu cogitari non possit. Genere enim hoc dicendi satis jocoso totum carmen, in quo dei statuam narrantem inducit, lepidam esse fictionem indicasse poëtam contendere non dubito. Denique hac transitionis ratione praeclarum variandi et mutandi studium, quo semper in descriptionibus uti poëtam et nostri carminis media pars et ceterorum librorum elegiae docent, cerni posse videtur.

Quare quoniam unamquamque trium, quas distinximus, carminis partium suam eamque concinnam habere compositionem, deinde singulos harum partium versus perbene inter se esse conjunctos videmus, ab omnibus me impetraturum esse arbitror, ut contendenti mihi, c. V, 2 plane esse perfectum atque elaboratum assentiantur. Quoniam porro supra docuimus, primum in altera c. V, 1 parte, quam integram esse habendam elegiam statuimus, componenda certam secutum esse Propertium rationem, deinde el. V, 6 suam habere compositionem, Luetjohannis rejecta sunt commenta, qui ut idem demonstraret, el. V, 1, 1—150 in tria, el. V, 6 in duo discerpsit carmina, singularum elegiarum versus transposuit, nonnullos versus excidisse sibi persuasit. Immo cum Krahnerus in el. V, 1, 1—70, nos in el. V, 2 accuratius, universe in ell. V, 1, 71—150. V, 4. V, 6 de rupto sententiarum nexu cogitari omnino non posse demonstraverimus, cum idem et in ceteris „Romanis“ et in reliquis — quarum e numero nonnullae velut V, 11 inter optimas Propertii elegias ab omnibus referuntur vv. dd.[1]) — libri V elegias perpaucis fortasse locis exceptis

---

[1]) cf. Hübner: in commentat. philol. in honor. Momms. scr.

doceri posse ex carminum, quae modo commemoravimus, condicione jure colligere possimus, hac ex parte libri V carmina esse rudia nec perpolita non concedemus, quamvis tale vitium inesse in ell. V, 1. 2. 4. 6. 9. 10 cogitari posse non negemus, quia ne ad finem perduceret consilium, quod in illis persequitur poëta, morte eum esse impeditum demonstravimus.

Hac autem ipsa de causa quoniam quin extremis vitae annis i. e. post omnes priorum librorum elegias haec libri V carmina a Propertio sint composita dubium jam non est, quod protulerunt cum Lachmann l. l. tum Hertzberg [1]) atque Heimreich [2]), ipsam libri V carminum elocutionem esse rudem nec dignam aurea poësis Romanae aetate, omni caret probabilitate. Nam quo, quaeso, modo fieri potuit, ut poëta posteriore potissimum vitae tempore relicto subito suae aetatis loquendi genere rudiore quadam et a latinitate quodammodo aliena uteretur elocutione? Sed haec, quam protuli vv. dd. sententia non nisi ipsa Propertii elocutione accuratius excussa ea ratione, quam nuper ingressus est Kuttnerus [3]) dijudicari non potest. Nam cum difficillimum nimisque saepe obscurum esse Propertium neminem in illius carminibus versatum fugere possit, cum multorum verborum mira proprietate, non paucorum substantivorum inaudita metonymia, particularum notissimarum usu peculiari admodum gaudere illum inter omnes constet, cum non adeo multum in genus ejus loquendi sit inquisitum, huius poëtae elocutionem quam maxime requirere observationem similiumque collocationem, non est quod moneam. Atque documento nobis esse potest quaestio illa, quam instituit Kuttnerus, Propertium quamquam multa habeat propria et mirabilia et primo quidem obtutu satis obscura, tamen in genere dicendi adeo sibi constare, ut similium locutionum collectione et comparatione difficillima saepe plana fiant et perspicua.

---

[1]) in comment. ad V, 10, 1 et 2.

[2]) symbol. philol. B. pp. 673 sqq.

[3]) De Propertii elocutione quaestt. Hal. 1878.

Jám vero perlustratis omnibus libri V elegiis eo modo, quo Krahner el. 1,1 — 70, Huebner el. 11, nos el. 2 excussimus, et indagata Propertii elocutione ea, qua usus est Kuttner ratione, si quá restant graviora, quam ut humana ope possint sanari, cur Propertio potius talia ascribamus, cur non librorum mss. miserrimae condicioni illa deberi putemus, qui quam saepe prorsus destituant interpretem dici vix potest. Nonne permulti quatuor priorum librorum loci — ut unum afferam exemplum, inspicias, quaeso, elegias, quae positae sunt in confinio librorum II et III — tam miserabilia auxilia in hoc poëta recensendo nos habere clamant, ut nisi novis et inexspectatis nixos adjumentis, illos nos esse sanaturos sperare non possimus? Horum autem librorum elegiae cum ne suspicionem quidem nobis moveant, non esse elaboratas eas nec perpolitas a poëta, cur de libri V elegiis imprimis de iis, quibus causas aperit Propertius, hoc ipsum statuendum esse credamus, quorum ultro unam vel alteram plane esse absolutam atque excultam jam est demonstratum.

Quae cum ita sint ab hoc formae genere, quod verborum et sententiarum conformatione cernitur, ullum intercedere discrimen inter quatuor priorum librorum elegias et libri V nego.

Denique ut summam omnium, quas institui quaestionum breviter comprehendam, utrumque discrimen, quod intercedit inter singulos Propertii elegiarum libros, cujus alterum argumentis, alterum arte metrica cernitur, ipsa poësi Propertiana nititur, cujus naturam ferre demonstravimus, ut qua ratione posteriores libri (IV. V.) praestent versuum arte prioribus, eadem in l. IV apparerent, in l. V unice valerent argumenta graviora atque austeriora. Jam vero cum ell. V, 3. 5. 7. 8. 11. extremis aut amoris aut vitae temporibus sint ascribendae, cum ejusdem libri ell. 1,1 — 70. 1,71 — 150. 2. 4. 6. 9. 10 post omnes quatuor priorum librorum elegias esse conditas ipsa poësis Propertianae natura doceat atque temporum vestigia et ab Eschenburgio et a me ipso prolata comprobent, cum denique libri V carmina eadem ac priorum librorum elegias arte esse composita sit demonstratum, carmina ju-

venilia [1]) quod placuit vv. dd. in hoc extremo elegiarum Propertii libro non inesse liquet.

Deinde vero haec ipsa, quae et de poësis Propertianae ratione et libri V carminum natura atque indole exposuimus, documento sunt, quam perversa sit eorum sententia, qui libri V elegias a Propertio esse abjudicandas censent [2]). Illud enim ipsum, quod talia tantum discrimina statuenda esse inter extremum et priores libros docuimus, quae enata sunt ex ipsa poësis natura, libri V elegias Propertio adjudicat.

---

[1]) cf. Lachmannum, Hertzbergium l. l. Luc. Mülleri praef. p. XIII. W. S. Teuffel: röm. Literaturgesch. 3. Aufl. 1875. § 426, n. 3: „Zugleich enthält es (sc. B. V.) wohl jugendliche Versuche aus dem Nachlasse des Dichters."

[2]) cf. Carutti, Heimreich l. l.

VITA.

Natus sum, Robert Scharf, Muehlbergae oppidulo in Saxonia Borussorum provincia ad Albim fluvium sito a. d. XII Cal. Mai. MDCCCLVI patre Franziso Roberto, matre Amalia e gente Blaettermann, quos adhuc in vivis esse valde gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Primis literarum elementis domi imbutus postquam gymnasium Torgovense per quinquies sex menses inde a quinta usque ad tertiam frequentavi classem, cum summa magistratus Muehlbergensis benevolentia inter eos scholae Portensis alumnos, qui publice aluntur, locus mihi esset assignatus, inde ab anno h. s. LXX usque ad LXXVI omnes huius scholae ordines percurri. Vere anni LXXVI maturitatis testimonium adeptus philologicis studiis me daturus academiae Halensis civibus ascriptus sum fasces tenente viro doctissimo Keil. Halis autem per septem semestria in philologiae et philosophiae studia ita incubui ut audirem viros ill: Dittenberger, Droyssen, Erdmann, Haym, Hiller, Keil, Koestlin, Kramer, Krohn, Pott, Suchier, Ulrici, Zacher II. Seminario paedagogico per unum, proseminario philologico per duo semestria interfui; praeterea seminarii philologici regii, cujus exercitationes moderabantur professores doctt. Keil, Hiller, Dittenberger, per duo semestria fui sodalis ordinarius. Omnibus quos nominavi viris optime de me meritis, imprimis Henrico Keil, viro illustrissimo, qui prae ceteris studiorum meorum fuit moderator atque adiutor, hoc loco gratias ago quam maximas.